

1664.

1. Coles, Philipp Albert: De Veneris et Mercurii
phasibus.
2. Coelerus, Philipp Albertus: De variis mundi
systematibus.
3. Klingelius, Christian: De majoratu.
4. Lederer, Michael Fridericus: De Testamentis
5. Leiser, W. Chelm: De landsassis, item
que schriftsassis et ambtsassis.
6. Leiser, Wilhelm: De titulo.
7. Liebentanz, Michael: De Parricidio Osmani-
darum.
8. Mantius, Johannes: De consiliario Prin-
cipis.
9. Martini, Werner Theod.: De celeberrimo
... imperio Romani Germanico in genere,
et in specie de Imperatore Augustissimo. 2 Bände.
10. Meyer, Joachim: De exceptionibus.

11. Nerges, Joachin : De juramentis.
 12. Schurzfleisch, Konrad Samuel : De servitute.
 13. Strauch, dezius : Τὰ ἐπιτιμια καὶ τὰ
 ποινὰν εἰς τὴν πόλιν, prisci publicae poeniten-
 tiam ritus.
 14. Ziegler, Kaspar : Secretatus de juribus
 majestatis, apud de Jure habendi Comitatus
 et mittendi Legatos.
- 1665
1. Horing, Johannes Ernst : De jure sylvarum et
 venationis.
 2. Lederer, Arnold Fredericus : De mutuo.
 3. Lederer, Wilhelm : De reconventionibus
 siue mutuis petitionibus ex L. ~~14.~~
 Cum Papinianus 14. . . C. de sententia. et.
 interlocution. cum. judic. . .
 4. Lederer, Wilhelm : De exceptione non nume-
 ratas pecuniae.

5. Lenz, Wilhelm: De statu et veteris
rei publicae Romanae et Romano Ger-
maniae.
6. Martini, Werner Theodor: De obligationibus
ex delictis et privatis delictis in specie.
7. Nerges, Fructus: De jure singularium,
circa res hostiles mobiles in bello et se
captas, ca § 17. Institut. Imperial. de
rerum divisione.
8. Nerges, Fructus: De poenis delictorum in genere.
9. Nerges, Fructus: De pupillari substitutione.
- 10^a Nerges, Fructus: De profundis.
- 10^b Prandius, Augustus: De hypothecarum haeresis.
11. Ziegler, Augustus: De aedilitio edicto.

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a list or account, covering the upper half of the page.]



10632
verbunden!
DISPUTATIO JURIDICA

422

De

POENIS DELICTORUM IN GENERE,

28

Quam,

1665

8

2

Adspirante Divino Numine,

Cum Consensu Magnifici atq; Amplissimi

Jurorum Ordinis;

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi

DN. JOACHIMI Bergers!

Gryphimonte Siles. J. U. D. & P. Pand. P. Curia Electoral.

Scabinatus & Facult. Juridicæ, ut & Judicii Provincia-

lis, quod est in inferiori Lusatia, Assessoris

Gravissimi,

Dn. Patroni, Promotoris, ac Præceptoris sui omni ho-

noris & observantia cultu etatem colendi:


exercitii gratia publicè ventilandam subjicit

AUTOR

MICHAEL FRIDERICI

Zittavia. Lusatia.

In Auditorio Jurorum horis Pomeridianis, ad diem 29. Aprilis.



WITTEBERGÆ

Literis MATTHÆI HENCKELII,

Anno M. DC. LXV.

VIRO

Magnifico, Strenuo, Nobilissimoq₃
DN. CHRISTIANO von Hartig in Hörnig etc.
Equiti D. Marci, juxtaque Consuli Inclitæ Reipublicæ Zittaviensis Primario, Meritissimo, Famigeratissimoque

ut &

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoq₃
DN. DAVIDI Zentschen / J. U. Licentiate
Celeberrimo, Assessori Scabinatus apud Zittavienses Clarissimo, Meritissimo;

Dominis Meis Patronis atq₃ Mæcenatibus, devoto observantiæ clientelaris cultu et ætatem Venerandis,

in

debitæ observantiæ indicinam, mei studiorumque commendationem ac Spem Patrocinii in me perennis, primitias hæc meas devotè offero & consecro

**MICHAEL FRIDERICI,
AUTOR-RESPONDENS.**

jus suum sibi proprium & ab alieno distinctum habeat, tum etiam quod prohibeatur aliena invadere; sequitur præcepta hæc: Honorem parentibus legibus definitum non denegabis: Hominem quem vetant leges occidere, non occides: Legibus vetitum concubitum fugies: Rem alienam Domino invito non auferes: Leges & judicia falso testimonio non frustrabere: esse Leges civiles: Leges naturales eadem præcipiunt, sed implicitè: nam Lex Naturalis (ut cap. 3. art. 2. dictum est) jubet observari pacta; ideoque etiam obedientiam præstare, quando obedientiam pacti fuerint, & alieno abstinere, quando quid sit alienum lege civili definitum fuerit, cives autem omnes (per cap. 6. art. 13.) obedientiam præstare mandatis ejus, qui habet summam Potestatem, hoc est legibus civilibus, ex ipsâ Civitatis constitutione paciscuntur, etiam antequam violari possunt, nam lex Naturalis obligabat in statu naturali, ubi primò (quia natura omnia omnibus dedit) nihil alienum erat, & proinde alienum invadere, impossibile; deinde ubi omnia communia erant, quare etiam concubitus omnes liciti; Tertio, ubi status belli erat, ideoque licitum occidere: Quartò ubi omnia proprio cujusq; judicio definita erant, ideoq; honores etiam paterni: postremò ubi nulla judicia publica erant, & propterea nullus usus testimonii dicendi neq; veri neq; falsi.

Singula ferè verba Novatoris in Philosophia morali censurâ opus habent, sed ut circa ea, quæ ad rhombum spectant, occupari est necesse: Legi Civili transcribit proprium jus habere & invasionem alieni: quod deinde probat, quia jure naturali nihil alienum sed omnia erant communia; Sed quàm hoc intolerabile dogma est! Scio ex Jure Justiniano (quod sanctitatem Juris Naturalis fermè in omnibus paginis & secutum est & breviter ejusdem themata feliciter exposuit & ad casus novos diduxit latius) §. 1. *Inst. de obligat. quæ ex delict. nasc.* quod lege naturali furtum prohibitum sit admittere, ex quâ prohibitionem per illationem consequentiæ certæ fluit, fures in statu naturali puniendos esse; deinde in l. 2. ff. de J. & J. rursus iterumque dictamen rectæ rationis secuti probant Jcti, quod Magistratus jure Naturæ humano constituti fuerint, Jam quis usus horum eodem jure, nisi, ut præmia bonis, ita ma-

malis poenas distribuere potis fuissent. Accedit huc & omnem facit paginam hæc definitio Juris Naturalis humani seu Juris Gentium in §. 1. *Inst de J. N. G. & C.*

Quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peræque custoditur. Ubi ejusdem quidditas à priori & posteriori ostenditur. Jam omnes moratiores gentes communi ratione ad conservationem & commoditatem humani generis introducere, ne aliis sua auferas, & si abstuleris, coërcearis. Quod vero *Hobbes dict. loc. art. 10. p. 239.* scribit: *Et si natura lex prohibet furtum, si tamen lex civilis jubeat invadere aliquid, non est illud furtum, Nam Lacedæmonii olim, cum permitterent pueris certâ lege surripere bona aliena, ea bona non aliena, sed propria surripientis esse jusserunt, ideoq; tales surreptiones non erant furta: nihil efficit, nec enim quid lex sit naturalis à moribus hujus vel illius populi meriti debemus: Obligatio enim illius juris à naturâ objecti oritur & inde se diffundit in præceptum, siquidem operationes actuum humanorum quædam bonæ quædam sunt malæ & cum æterna lege vel conveniunt vel disconveniunt, atque ita Lex Naturæ mentem divinæ voluntatis, honesta sequenda, turpia vero fugienda, sequens, ostendit: Quibus naturæ immotis principiis informatæ Gentes statuerunt, contra naturam facere, qui aliena invadunt: Et facilè ex illa à Lacedæmoniiis impunitâ relictâ furantium licentiâ judicare potes, furta esse naturæ jure probra, quia ante illam rapiendi permissionem Lacedæmoniorum juvenes furta adeò licenter non tentabant. Ortum igitur & fundamentum in jure naturæ habent delictorum punitiones. Graviorem huic orthodoxiæ constituit *Scotus citatus à Molina tom. 4. de Justit. disput. 5. n. 1. fol. 533.* adversariam hanc: Neque publica Reipublicæ autoritate fas est occidere malefactores, nisi quatenus ex Scripturis constiterit, Deum id concessisse, dispensando in quinto illo Decalogi præcepto; Non occides: quod universale est, ac de jure divino naturali: quoniam, inquit, solus DEUS potest dispensare in jure Divino naturali. Inde verò ulterius infert, nefas esse, punire morte simplicem furem, quantæcunq; furtum esset quantitatis, atque esto, pluries ab eodem fure esset commissum: & addit: Nefas hodie esse, morte punire adulteram,*

quoniam quamvis Deus quondam in lege veteri permiserit
adulteram lapidari: postea tamen id revocavit, dum adulteræ
dixit: Neque ego te condemnabo.

Verum enim verò ex utroque Fœdere loca citari poterant, ubi
Deus mero Imperio & Jure gladii Potestates & Rerum Dominos
armavit: instar omnium sufficiant *cap. IX. Genes.* ubi dicitur: Qui-
cunque effundit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius,
ad imaginem quippe Dei factus est homo: & *ad Roman. XIII.* scri-
bitur: vis non timere Potestatem? Bonum fac & habebis laudem
ex illâ: Dei enim Minister est tibi in bonum, si autem malum fece-
ris, time: Non enim sine causa gladium portat; Dei enim Minister
est, Vindex in iram ei qui malè agit. Ubi *Origenes Adamantius* pag.
610. habet: Omnia crimina quæ vindicari vult Deus, non per An-
tistites & Principes Ecclesiarum, sed per mundi Judices voluit
vindicari, & hoc sciens Paulus, rectè Eum Ministrum Dei no-
minat, & judicem in Eum qui, quod malum est, agit: & mox,
Ostendimus, Sanctum Spiritum, in multis humanæ legi locum
dedisse: certum est, quia in die judicii habebit etiam ex istis
legibus laudem apud Deum is, qui nihil contra statutas com-
miserit Leges, cum dicetur ei à Domino: Euge serve bone &
fidelis, supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.

Puto enim me loca sacra laudantem & eorum paraphrasin, falcem
alienam in messem non intulisse, siquidem ad Æquitatis bonita-
tisque rationem exponendam & probandam ex ipsa Theologia
oportet Jurisperitum quædam arcessere: ac in nostra Juris Pruden-
tia de rebus divinis edixere Legislatores: audiatur *Albericus Gen-
tilis de Nuptiis c. 8. circa finem.* Nos quoque in libris *Legum Justinæ
nearum non modo habemus, quæ subjecti sunt & finis juris humani,
sed & quæ divini & aliarum scientiarum omnium.* Parcè tamen de
jure Divino & parcè de rebus aliis nec unquam ex instituto. Vid.
Dn Danhauer. in Ideâ boni disputat. sect. 2. c. 4. Art. 1. à. §. 92. pag. 319.
& *Andreas Fincksch in Tractatu Methodico de juris princip. th. II.*
pag. 31. Deinde quinto Decalogi Præcepto, quod, uti ejusdem præ-
cepta reliqua, juris naturalis est, ea hominis occisio prohibita est,
quæ ex natura rei, ac proinde ipso Naturæ jure mala est atque in-
terdicta: Quo fit, scribente *Ludovico Molina de Just. tom. 4. tract. 3.*
disput.

Disput. 5. n. 5. fol. 35. ut ex naturis ipsis rerum iudicandum in particulari sit, quæ hominis occisio eo præcepto prohibeatur ac contineatur, quæ non item, quantum naturali lumine, rationibusque naturalibus id constare potest, id quod Scriptura sacra hominibus investigandum, declarandumque relinquunt: Hæc ille: ne verò hæc Philosophia in reprobum sensum torqueatur, debitas negotio circumstantias addas oportet, quibus occisio hæc aliàs per se mala cohonestata ab objecto quinto præcepto prohibito extrahitur, ac ita omne homicidium in tota dicti præcepti latitudine non est prohibitum.

Investigatio vero & declaratio illarum circumstantiarum maximè à Majestate fieri debet: quorsum spectat definitio Juris Civilis apud Ulpian. in l. 6. ff. de J. & J. quæ hæc est, quod neque in totum à naturali vel Gentium recedit, nec per omnia ei servit, itaque eum aliquid addimus vel detrahimus juri communi, jus proprium id est civile efficitur, quæ detractio non est jussio alicujus, quod in se malum est, vel prohibitio honesti, sed quod jus civile præceptis quibusdam naturalibus ex justâ quadam Reipl. aptâ ratione nullum effectum tribuat. Graphicè Dn. Frantzke commentar. in π. tit. de J. & J. n. 146. p. 23. Jus civile, scribit, per modum determinationis & arbitramenti humani constituitur. In jure enim Gentium præcepta magis generalia sunt, quia in eo consideratur utilitas totius nature & conformitas ad prima & universalia principia naturæ, quæ illatio facillè apparet & conveniens est omnibus Nationibus, quæ rectè ratione utuntur: Inde illa ab uno forsitan populo observata per imitationem mutuam usum invaluit & in omnes derivata fuit. Jus vero civile, quia particularem finem respicit & circa certos distinctosque ordines, qui in Repl. sunt, versatur, naturale quoque jus, quod generale est & omnes homines aequaliter considerat, ex æquo & ex æsse recipere non potest, sed in ordine ad materiales illas circumstantias applicando veluti mensura quedam determinare necesse habet. Hinc non absolum à vero erit, statuere, pœnas delictorum esse etiam Juris civilis, seu determinatam formam à quovis Jure Civili individuanti nactas esse, videatur Hugo de Roy de eo, quod justum est lib. 1. tit. 6. §. 2. p. 77. Dubiis aliis satis à Molina factum d. l. Cæterum hæc suppliciorum irrogatio ut justa sit, perpendat Magistratus. 1. Se eandem vice Dei exercere. 2. Neminem ex privato odio vel affectu condemnet. 3. Fines pœnarum observet sc. tranquillitatem

tem publicam, innocentium tutelam ac, ut alii exemplis punito-
rum deterriti sollicitius sibi à delictis caveant. 4. Accuratam cau-
sæ cognitionem & rationem ordinis judicii capitalis ante poenam
habeat. 5. Parciter sanguinis poenam dictitet, si homo ad frugem
reduci possit, non enim minus Principi turpia sunt multa sup-
plicia quàm medico multa funera, *Sen. de Clement. cap. 24.* & de-
mum 6. absolvat à sanguine si, quem esse nocentem, non liqueat,
*Vid. Joh. Conrad. Dürrius Professor Altdorffinus in Enchiridio Theo-
log. moralis par. 3. sec. 4. c. 12. p. 247.* Jam ad Rem ipsam me converto:
faxit DEUS ut res cedat honori Ejus & quali quali Rei-Publicæ
commodo.

Esto verò MEMBRUM I

De

NOMINE ET DEFINI-
TIONE POENÆ
tractans.

I.

CUM de qualibet re discursum & amicabilem ventilationem
instituturis prius verborum significatio & posterius rerum co-
gnitio & interpretatio, monente IC. in l. 1. ff. de reb. cred. inqui-
renda sit; Etenim non minorem Icti quàm Philosophi verborum
curam habent *arg. tot. tit. ff. de V. S.* meritò & mihi primo loco
aliquid dicendum de ipso vocabulo & significatione poenæ, pri-
usquam ejus definitionem & divisiones adferam explicemque.

2. Sciendum itaque vocabulum poenæ variè sumi. 1. Gene-
ralissimè pro omni molestia, & calamitatibus quibus Deus homi-
nes improbos visitaturus est, vide *Richt. axiom. politic. 290. Ita, in-
quientem, solet fieri quando Deus punire vult, tum plerumque ex le-
vibus initiis ingentes calamitates texit.* Proque omni infortunio.
Id: axiom. polit. 289. & axiom. Ecclesiast. 106. Imò pro omni malo
& nocumento, omnique culpa ac negligentia quâ nocetur ho-
mini.

3. Secundò in jure nostro dupliciter accipitur, vel latè &
ingenere vel strictè & in specie. Latè sumptum denotat omnium
delictò-

delictorum coërcitionem l. 131. ff. de verb. signif. ità & generaliter pœna dicitur, quæ contractibus inest, quæque aliàs conventionalis dicitur §. fin. Inst. de v. obl. & interdum sumitur pro usura ut l. 40. ff. de reb. cred. l. 11. ff. de usuris. l. 32. §. 2. ff. de hered. instit. Interdum pro eo, quod interest l. 19. ff. judicatum solvi.

4. Denique strictè sumptum denotat coërcitionem, quæ ex aliquo delicto oritur, quæque pœna ità strictè sumpta legalis dicitur, quæ scil. ob aliquod delictum commissum legibus præscribitur.

5. Jam ad ipsam rei definitionem progredior; variè verò à Dd. pœna definitur. ab Hugone Grotio de I. B. & P. lib. 2. c. 20. num. 1. quod sit malum passionis, quod infligitur ob malum actionis. & Cujacio in parat. suis ad ff. tit. de pœn. quod sit, legitima delictorum coërcitio ad disciplinæ publicæ vigorem conservandum & emendationem hominum introducta & constituta. ego cum lito in l. 131. pr. ff. de V. S. definitio; quod sit noxæ vindicta. Ubi genus aptum maximè est, vindicta enim fit & per talionem & per actionem injuriarum itemque harum retortionem arg. l. 33. ff. de injur. uti etiam exercetur quocunque modo fuerit nocitum. Quam vindictam lito d. l. in suo legitimo subjecto considerat, dum pœnæ & fraudis formale persequitur; Est enim judicis inter alia & hoc inquirere, quo animo delictum perpetratum fuerit, cum sine culpa, nisi subit causa, nemo sit puniendus. l. 1. §. item ff. ad Sc. Sillanian. Punitur verò noxa i. e. corpus quod nocuit, §. 1. Inst. de noxal. act. delicta enim suos autores tenent. l. 22. C. de pœn. & quod Plato scripsit, Delinquentes pœna, ut umbra corpus comitatur. Vid. Petrus Theodoricus in Colleg. crimin. Disput. 10. th. 1. in exegesi.

MEMBRUM II.
CIRCA GENERA ET DIVISIONES POENARUM
occupatum.

I.

Innumerus ferè numerus generum pœnarum est, uti ea historicorum suggerunt monumenta, Criminalistarumque suppedi-

B

tant

tant volumina, hinc *Wesenbecius in parat. ad tit. hunc num. 2.* scribit, quod pro varietate delictorum varia detur poena.

2. Illi vero, qui apparatus Philosophico Jura nostra hactenus exposuerunt, ad tria genera revocârunt ea, uti fecit *Magnificus Dominus Hahn Praeceptor & Patronus meus omni honoris & observantia cultu plurimum venerandus in observatis suis ad Wesenbec. tit. 2. lib. 2. de juris d. n. 6. p. 1. pag. m. 252.*

3. Primi seu summi gradus sunt poenæ, quibus vita naturalis adimitur vel ultimum supplicium inferitur, quæ ob graviora facinora eorumque circumstantias vel in detestationem criminis vel in exemplum imponuntur, veluti sunt dissectio in quatuor partes, dilaceratio condemnati per quadrigas in diversum actas, vivi crematio, suffocatio in aquâ. *Constit. Crim. art. 169. 131.* Rotæ supplicium, forcipibus candentibus ustulatio *Constit. crim. art. 194.* Laquei poena, capitis amputatio, & id genus alia.

4. Secundi gradus sunt, quæ morti naturali sunt proximæ, quæque duplices sunt, 1. quibus corpori gravior poena & quidem morti affinis infligitur, veluti manus & digiti abscissio vel alterius membri mutilatio, poena metalli. 2. quibus vita civilis adimitur, veluti Aquæ & ignis interdictio, deportatio, amissio civitatis.

5. Tertii sunt, quæ neque vitam naturalem neque Civilem adimunt sed vel ad corporis coercitionem spectant vel damnum pecuniarium continent, ut sunt relegatio, flagellatio, multa, privatio dignitatis: & quidem ad imitationem textus *in l. 28. pr. §. 1. ff. de poen.* quæ est Icti Callistrati, de quo *D. Nicol. Henel. commentar. de veteribus Ictis cap. 34. pag. 177.* scribit, quod *Juris artem egregiis quibusdam accuratisque scriptis haud parùm illustraverit.*

6. Jam quæri potest, ad quam poenam ex his tribus gradibus referri debeat incarceration? Sunt quidam qui illam ad supremum gradum referendam ducunt, quia longè sit gravior atrocior & durior ipsa morte, ut colligere tentant ex *l. 6. C. de poen.* alii ad secundam poenarum classem referunt, propterea quod videatur quædam servitutis species. *l. 2. ff. de homine lib. exhib.* Neutram verò harum opinionem amplectendam esse arbitror, quia ultimum supplicium non irrogat.

Deinde nulli bi proditum est,
pæ-

pœnam carceris libertatem & civitatem tollere, eaque adimere quæ facere permittuntur liberis hominibus & civibus Romanis; Idcirco magis ad ultimum pœnarum gradum eandem spectare concludo, adque eas referri pœnas, quæ corporis continent coercionem. Omnes enim carceres (verba sunt *Tholos. Syntagm. juris univ. lib. 31. c. 33. n. 8.*) quantumvis speciosifint, pœnam suâ naturâ habent, libertatemq; minuunt & consequenter animum tristem reddunt, non secus ac aves liberæ caveâ inclusæ canendi voluptatem amittunt: *est bonus text. in l. 3 ff. de custod. reorum d. l. 2. C. eod.* aut distingue cum *Magnif. Dn. Habnio ad Wesenb. de pœn. n. 4.* an quis carceri includatur sine an cum vinculis: aut cum *Dn. Carpz. Pr. Crimin. p. 3. q. 130. n. 8. p. 251.* inter carceris finem primum & à primo ortum, ut hic carcer loco pœnæ sit: adde *Nicol. Reusner. l. 2. decis. 17. n. 13.*

7. Genera sequitur divisio una atque altera: ubi tanquam stella primæ magnitudinis eminent hæc quod alia sit Ordinaria pœna alia Extraordinaria. Extraordinaria est, ut à posteriori incipiam, quæ non lege delicto præscripta sed arbitrio judicis relicta est, *l. 3. ubi gl. C. de sacrosanct. Eccles. & l. u. l. 14. l. 16. l. 25. ff. de pœn. & tot. tit. de extraordin. criminib. V Wesenbec. ad §. in summa. Instit. de injur.* quæ ex circumstantiis modò gravior modò levior infligitur. *V Wesenbec. in parat. ad h. t. num. 4.* quod tamen arbitrium judicis juri & æquitati conforme sit, nec ex opinione propria profectum; nec enim quælibet censura & opinio hominis est pro æquitate recipienda (quod enim unusquisque non sibi somniaret) sed ea tantum quæ ex certa rationis formula procedit. Ea autem duplex: altera communis seu naturalis, cui omnes homines, velint nolint, ad sentiri conscientiam coguntur propter apertam veritatem, quam DEUS insculpsit cujusque animo. Altera vero civilis, quæ ex accepta Legislatorum autoritate, proficiscitur vel ex diuturnis moribus consensu utentium approbatis *§. 9. Inst. de I. N. G. C. & l. 32. ff. de legib. vid. Oldendorp. Tract. de jure & equitate. tit. 3. p. 14. Dn. Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 133. n. 5. Mynsing. cent. 6. obs. 97. n. 8. Menach. A. I. Q. in procem. n. 6. & seqq. eleganter Peck. in c. in pœnis 49. in pr. de R. I. Richt. decis. n. 2.* Est autem hæc pœna quandoque

expresse quandoque tacite arbitrio judicis relicta: expresse, quoties Lex eam expresse judicis arbitrio relinquit *l. 13. de pœn. l. 11. ff. eod. tacite* verò, quoties nulla pœna delicto lege præscripta est, *l. 1. §. 1. ff. de effract. & expil. l. 15. §. 1. ad SC. Turpil. Menoch. de A. I. q. 14. lib. 1. & qu. 86. & cas. 449. n. 3. 4. & seqq. Tiraquell. de pœn. in Præf. n. 4.*

8. Quæritur an judex ejusmodi pœnam extraordinariam ad mortem extendere possit? Sunt qui illud ipsum affirmant, veluti *Prosp. Farinac. de pœn. lib. 1. tit. 3. num. 34. qu. 17.* qui pro fundamento adducit *l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. repetund. juncta Constit. crim. art. 113. in verb. Es möchte solches.* Cui subscribit *Menochius de A. I. Q. q. 86. n. 31.* qui tamen hanc rationem addit, si nimirum expresse judici ejusmodi potestas ad mortem data sit; huic sententiæ cum *VVesenbecio in π. de Procuratore num. 5.* ibi, *nam arbitraria coercitio pro ratione circumstantiarum augeri potest & minui & etiam usque ad pœnam mortis extendi: & egomet subscribo,* per capitalem textum ind. *l. 13. D. de pœn.* qui excerptus ita habet: *Hodie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoscit, quam vult, sententiam ferre, vel graviolem vel leviolem, ita tamen ut in utroque modo rationem non excedat.* Ex quo textu apparet, quod judicans quaecumque pro ratione & pro modo ultimum supplicium dictare queat. Cujus thematis exemplis non destitui-
mur: *Σκοπελισμός* seu lapidis positio extra ordinem usque ad pœnam capitis mulctatur. *l. 9. D. d. extraordinar. criminib.* Deinde criminalis actio furti ut sit extraordinaria *l. fin. ff. de privat. delict.* illa nihilominus ad mortem extenditur *l. pen. ff. de condict. caus. dat. caus. non sec.* circa hujus legis expositionem scio variare interpretes, sed facio cum *VVesenbec. & Godofr. ad tit. de offic. præfecti vigil.* quod servus furans ob sui vilitatem ultimo supplicio affectus fuerit, deinde omnium clarissima loca sunt in *l. 6. pr. ff. ad L. Jul. peculat. d. l. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Repetund. d. l. 3. C. de serv. fugitiv. l. 3. §. 10. ff. de Remilitari. d. Carol. V. P. S. D. art. 112. & art. 113.* Quod verò dicitur in *l. 155. §. f. ff. de R. I.* In pœnalibus causis benignius interpretandum esse, ac id sequitur *Dn. Carpzov. Pr. Cr. p. 3. qu. 133. n. 26.* Id verum est si evidens aliqua pœnæ mitigandæ ratio subsit, aut si dubia subsit probatio criminis perpetrati, tunc enim minor pœna est imponenda. *l. 192. §. fin. ff. de R. I. vid. Nicol. Reusner. l. 2. decis. 17. à. n. 19. fol. 79.*

Ordj.

9. Ordinaria pœna est, quæ venit ex dispositione legis & Statutorum. Ita habemus pœnam ordinariam homicidii nempè gladium, furti strangulationem, *vid. Const. Crim. Carol. V.* Pœnæ enim certæ singulorum peccatorum sunt. *l. si qua pœna 244. in fin. ff. de v. s.* Nec aliqua pœna irrogatur nisi quæ quâque lege vel quo alio jure specialiter cuique delicto imposita sit *l. aliud fraus 131. de v. s.* qui textus famosus est & notandus contra eos qui putant, hodie omnes pœnas esse arbitrarias, hi enim confutantur tum per hanc legem tum per *l. 244. ff. eod. tit.* tum quod judex gravi infamia sit plectendus, si violentiæ crimen apud se probatum distulerit, si omiserit, vel impunitate donaverit, aut molliorem quàm lex præstituit pœnam protulerit *l. 8. § 2. C. ad L. Jul. de vi publ. ubi Godofr. in not.* & quidem rectissimè: frustra enim sanciretur pœna, si, quod *Cassiodorus lib. 7. epist. 8.* habet, judicis vel gratiâ vel odio vel ambitione definitio Legis eluderetur. Potiùs enim convictis & confessis, quæ sunt decreta, serventur, quoniam crudele nihil efficit, qui sequitur leges, *Symmach. lib. 1. epistol.*

10. Ordinaria iterum vel est Civilis vel criminalis. Civilis pœna est, pecuniaria quæ parti agenti addicitur. E.g. in actione injuriarum aliquis civiliter agit, ex illa actione provenit pœna civilis & hæc pœna sc. pecunia non fisco sed parti agenti applicanda. *§. 10. in summa Inst. de Injur. & l. 7. §. 6 ff. eod.* Possè hodiè de omni injuria sed & de atroci civiliter agi Imper. noster rescripsit, *& l. 37. §. fin. ff. eod.* & ex L. Cornelia, injuriarum actio civiliter moveri potest, condemnatione, æstimatione judicis, facienda.

11. Criminalis pœna est, quæ publicè infligitur & fisco applicatur. Quæ subdivisa sit vel corporalis vel pecuniaria; hæc est quæ fisco solvitur *Græd. ad l. 7. n. 21. de v. s. gl. in l. 3. de sepulc. viol. Menoch lib. 2. cas. 205. n. 3. 4. 5. Buër. qv. 349.* Corporalis verò est, quæ corpori delinquentis infligitur. *Vult. lib. 1. J. R. c. 54. lib. 2. de publ. judic. l. 103. de v. s.* Jure verò Saxonico illa tantum criminalis dicitur, quâ corpus affligitur, veluti si quis fustigatur vel ei manûs amputatur. Non verò si quis mulctam judici aut fisco solvat, eamque pœna civilis est. *art. 53. & 69. lib. 1. Land Recht / Constit. Elect. II. p. 4. ibi, und also Leibes- Straffe zugesprochen worden. Coler. decis. 22.*

12. Hinc non impertinenter quæri potest. Utrum relegatio sit pœna capitalis nec ne? sunt qui defendunt, eam esse capitalem. Verior tamen videtur contraria opinio, quia relegatio neque bona l. 8. C. de pœn. neque civitatis jus ullum aufert l. 3. § 4. ff. de interd. neque caput civitati adimit l. 14. § 1. ff. de bon. qua. liber. & quod ut *Wesenbec. in π. de quest. n. 5.* asserit, ea comparatur pœnæ pecuniariæ, nam cum relegatio imponenda est, procurator perinde ut in civili causa admittitur; cui in notis Bachov. dicam scribit, quia ea causa censetur civilis, quæ actor persequitur, quod sua privatim interest, & quod perit, sibi vult applicari; ex quo nemo negârit, si relegatio fuerit irroganda, hanc causam esse criminalem. Deinde falsum sit quod in relegatione procurator intervenire possit: contra sit, tùm ratio quod sententia ejusmodi in procuratorem ferri non potest, nec ipse hanc pœnam pro principali sustinebit, tùm textus expressus in l. 1. pr. vers. sed et si ff. an per alium caus. appell. Ubi iectus causam pecuniariam hactenus apertè separât à causâ relegationis, in quibus imperitè *Wesenbec. idem* jus hactenus statuat; hæc ille. Sed pro *Wesenbecio* respondere tento. Is verò d. l. clarè non scribit, relegationem esse civilem causam; deinde eadem criminalis esse nequit, quia nil pecuniæ vel fisco vel iudici applicatur vel etiam agenti; aut eo sensu civilis intelligenda est, quatenus eâ *Wesenb.* capitali vel corporali opponit. Deinde quod procurator intervenire possit, id de usu est capiendum *vid. Wesenb. tit. de his qui not. infam. n. 9.* ac ita non ineptè secundum quid relegatio cum causâ verè civili comparatur, quo ipso indebitè comparatio extenditur. Quod d. l. ff. an per aliam cause appellat. attinet, urgeo, quod causa pecuniaria, ex quâ ignominia sequitur per procuratorè agitari potest, ubi, ut utar verbis Bachovii, sententia in procuratorè ferri non potest, nec ipse hanc pœnâ pro principali sustinebit: amplius ex l. 5. D. d. pœnis dubium tolli potest, sc. ut verbû *Usque* hic capias exclusivè, ut in relegatione, remotione q; ab ordine absens damnetur, E, & in iisdem causis procurator poterit constitui,

13. Crimialis iterum est duplex vel Capitalis vel non capitalis. Capitalem sumo vel generaliter vel strictè. Generaliter sumpta denotat eam quæ vel vitam vel libertatem civitatemque adimit l. 103. ff. de v. s. l. 28. pr. ff. de pœn. *Wesenbec. in π. ad h. t. n. 2.* strictè sumpta quæ caput vitamque aufert, quæ aliàs ultimum supplicium

ciam appellatur. *l. ult. ff. h. r.* Et sub morte hæc naturali omnes
pœnæ comprehenduntur, quæ ultimū supplicium continent tum
& per hoc novissimum supplicium Nov. 86, c. 14, solam mortem
naturalem intelligo *arg. l. 28. ff. h. r.* Cujus gradus sunt capitis am-
putatio, ad furcam damnatio, vivicremium *d. l. 28. § 12. h. r.* Suspen-
dium constit. Carol. V art. 192. aquæ suffocatio art. 169. Sectio corpo-
ris in quatuor partes & c. vide supra: Pœna capitalis morti naturali
proxima est deportatio in insulam *l. 2. l. 28. D. h. r.* itemq; metalli co-
ercitio, quæ gemina est aut n. in metallum aut in opus metalli fit
damnatio *l. 8. §. 4. ff. h. r.* ibi quis duriori hic verò leviori premitur
vinculo, referendaq; huc deportatio in Insulam *l. 17. ff. h. r. § 1. C. eod.*

14. Nota hic loci, aliud esse Naturale aliud civile caput.
Naturale est præstantissima pars hominis sine quâ vita nec esse nec
consistere potest. Unde pœna naturalis capitis est ipsa naturalis
vitæ ademptio *l. 8. §. 1. ff. de pœn.* seu ultimum supplicium *l. ult. ff.
h. r.* Civile verò, est status seu conditio hominis consistens in liber-
tate, civitate & familia *l. fin. ff. de cap. demin.* hinc pœna capitis
civilis est, amissio libertatis & civitatis. Et dantur tria genera ca-
pitis deminutionis, Maxima, Media, Minima. Tria enim sunt
quæ habemus libertatem, Civitatem & Familiam. Cum igitur o-
mnia hæc 3, amittimus, maxima est capitis diminutio. Cum verò
amittitur civitas & libertas retinetur, familia verò tantum muta-
tur, minimam esse capitis diminutionem *constat ex l. ult. ff. de cap.
minut. § tot. tit. Inst. eod.*

15 Altera est non capitalis, quæ nec vitam nec civitatem adimit,
sed aliam quamlibet coercionem & existimationis læsionem
continet. Ejusmodi sunt, fustigatio, Relegatio, flagellatio, Exilium
l. 6. in fin. l. 28. §. 1. ff. h. r. Incarceratio, vincula *l. 7. l. 28. §. 1. h. r.* Infamia
& id genus alia. Nota Jure communi abscissionem seu mutila-
tionem membri prohibitam esse, *l. si quis 17. C. de pœn. & Nov. 134. §.
quia verò: Jul. Clar. §. fin. quest. 69. in pr. & qu. 70. in pr.* qui tamen
addit hanc pœnam hodie in usu esse: *Vesembec. in parat. ad h. r. n. 3.
infra.* aliter sentit asserens, regulariter nullum membrum præter
manum esse amputandum. Aliter constitutum est Jure novissimo
Const. Crim. art. 198. quo non tantum abscissio digitorum sed & lin-
guæ & aurium approbatur *in art. 198. in verb. aber in etlichen
Misse*

Missethaten lassen die rechte peinliche Straff am Leib oder Gliedern
zu 2c. & Conf. Elect. 1. p. 4.

MEMBRUM III.
DE CAUSA EFFICIENTE
ET MATERIALI POE-
NARUM.

I.

CAusa efficiens est Lex, quæ delictis pro singulorum qualitate
justas pœnas irrogat. Oportet enim legem esse Præsidem
& bonis & malis & Principem & Ducem esse l. 2. in fin. ff. de
Leg. VVesenbc. in π ad h. t. n. 5. Non enim judex pœnas à Jure non
determinatas irrogare potest, sic enim sphaeram suæ Jurisdictionis
excederet.

2. Instrumentum verò sunt Magistratus, penes quos est jus
gladii & merum Imperium, non enim quatenus Magistratus sunt,
gladii potestatem habent, sed quatenus specialiter Lege, Senatus-
consulto, vel constitutionibus Principum hoc tributum est, l. 1. ff.
de offic. ejus cui mandat. Majestas enim in Romana Republica sibi
ut Palladium quoddam suæ securitatis reservavit in caput civis
Romani animadversionem: tales vero Magistratus sunt, Præfectus
urbi, Præses l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. l. 8. §. 5. h. t. VVesenbec. ad tit. h. n. 5. Ante-
quam verò ulterius progrediar, non nihil de circumstantiis circa
pœnas irrogandas judici considerandis, quæ modo minuere mo-
dò augere possunt pœnam delinquentium, dicendum est.

3. Si igitur constet de delicto commisso aliquo, Judicis est,
principium delicti attendere & perspicere an dolo, proposito, aut
impetu aut casu fuerit perpetratum. l. 11. §. 2. ff. de pœn. Et sanè hæc
distinctio in omnibus criminibus pœnam aut justam eligit aut
temperamentum admittit l. 5. §. fin. h. t. Temperare mihi non pos-
sum quin Martiani Jcti in d. l. 11. ff. h. t. verba quæ pondus habent,
transcribam, quæ ita sonant: *Perspicendum est Judicanti, ne quid
durius aut remissius constituatur, quam causa deposcit; nec enim aut
severitatis aut clementie gloria affectanda, sed perpenso judicio, pro
ut quæq; res ex postulat, statuendum est; Planè in levioribus causis
præciores ad lenitatem judices esse debent, in gravioribus pœnis seve-*
rita-

ritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi l. 13. C. de sent. & interloc. l. fin. in fin. C. si contra jus vel utili. publ. In specie verò Judex, ne temeritatis notam incurrat, septem circumstantias, quæ in quali quali delicto considerandæ veniunt, æquâ animi lance perponderet, l. 6. ff. ad L. Jul. peculat. Habentur verò eæ in l. 16. ff. h. t. Et i. est causa; attendat enim Judex an id quod commissum dicitur, justam habeat causam nec ne, ut superius dictum fuit.

5. 2. Persona, quæ dupliciter consideranda, Ejus qui fecit & qui passus est. *Vvesenb. ad tit. h. n. 8.* Qui enim in personam illustrem, nobilem & in maximâ dignitate positam delinquit, gravius & atrocius punitur ac si in vilem, abjectam, famosam, obscuram & plebejam personam deliquisset. Quantò enim dignior persona in quam peccatur, tantò gravius etiam est delictum ejusdemq; poena. *S. atrox. Inst. de Injur. l. presbyter. C. de Episc. & cler. l. 16. aut facta. l. 7. S. ult. de Injur.* Sic aliter etiam punitur lædens & injuriâ afficiens parentem, Patronum, Dominum ac alias personas l. 1. & seqq. ad L. Pompeja. de parricid. l. 5. C. ad L. Jul. pecul. *Menoch. lib. 2. cas. 263. 267. 266.* Persona porrò etiam ratione ætatis, sexus & dignitatis spectanda est ut inferius dicitur.

6. Tertia est locus, qui in delictis non solùm quo ad eorum probationem verùm etiam ad poenam pensâ habendus est. Consideratur autem duplici modo i. quâdo quis in loco publico, foro, domo Principis, curiâ, solenni convivio, quàm domi aut in obscuro loco aut in ædibus sacris quàm alterius privati injuriâ afficitur. *Nov. 134. c. 13. l. 7. S. fin. l. 9. S. 1. ff. de Inj. 2.* quando aliquis vulneratur in oculo, facie. Crescit enim injuria si quis in facie aut mala percutiatur l. 16. S. 6. ff. h. t. præsertim si cicatrix perpetua mansura sit: decrescit verò injuria & poena minuitur, si fortè quis in dorso aut pede vulneretur aut pulsetur. *d. l. 7. in fin. & l. seq. ff. de Injur. Constit. Crim. art. 146. & l. 16. S. 4. ff. h. t.*

7. Quarta est Tempus, quod distinguit furtum nocturnum à diurno l. 54. S. 2. de furt. l. 1. & 2. de fur. balnear. *Constit. Crim. art. 167.* Omnia enim delicta noctu perpetrata graviora dicuntur & habentur diurnis. *Ripa de noctur. temp. c. 12. n. 10.* tum quod eo tempore tranquillitas & pax populi magis observanda sit. *Tiraquill. C. caus.*

caus. 57. n. 4. tum quod istud tempus arguat animum delinquendi
audaciorum. *l. 9. ff. de Sicar. Far. q. cr. 18. n. 66.*

8. Quinta est Qualitas, quâ delictum vel atrocius vel levi-
us est, & ratione hujus circumstantiæ gravius delictum est parri-
cidium quàm simplex homicidium: Vulnus parvum mitiorem
pœnam meretur quàm magnum, & gravius punitur qui in civitate
seditionem movet quàm qui tumultum. *l. 16. §. 6. ff. h. t. Tirag. cas.*
44. n. 53. Menoch. cas. 358. n. 4. Farin. q. cr. 18. n. 65. & consil. crim. 32.
n. 14.

9. Sexta est Quantitas, quæ discernit & distinguit furtum
ab abigatu. Etenim unum suum surripiens ut fur, totum gre-
dem ut abigens coërcetur *l. fin. in pr. de abig. l. 16. ff. de pœn.* Et se-
cundum hanc circumstantiam gravius est furtum centum thale-
rorum quàm unius, & quò major quantitas delictorum eò major
sequitur pœna. Ad quam etiam referri potest frequentia deli-
ctorum seu Reiteratio criminis, ob quam pœna augetur; Acrius
enim puniendus est, qui sæpius quàm qui semel tantum deliquit *l.*
8. servos. ubi gl. & Bald. C. ad L. Jul. de vi publ. Ac supplicia augen-
da sunt eorum criminum ad quæ multi sunt proclives. *Godofr. adl.*
16. §. 10. ff. h. t. l. 1. ff. de Jure patron. l. fin. C. de Episc. audient. l. 28. §. 3. ff. de
pœn. Farin. q. cr. 18. num. 80. q. 22. n. 1. q. 23. per tot. q. cr. 82. Sic delictum
non capitale ob reiterationem capitale fit. *l. 28. §. 3. ff. h. t.* ibi, non-
nunquam capite plectendi, sc. cum sæpius seditiosè & turbulenter
se gesserunt & aliquoties apprehensi tractati clementius, in eadem
temeritate propositi perseveraverint. *Farinac. q. cr. 18. n. 80. &*
consil. cr. 41. n. 4. Pruckman. 2. consil. 15. n. 162, & pœna pecuniaria effi-
citur corporalis. Farinac. consil. 15. n. 9.

10. Denique eventus, qui non tam exitum, quàm finem,
causam finalem & *wegdigung* facti significat. *Vvesenb. in II. h. t. n. 8.*
in fin. sed & multa qualia sint ostendit *l. 98. §. 3. ff. de solut. & liberat.*
Exitus enim & eventus est effectus maleficii ex quo delicta perfecta
& consummata appellantur, quæ pœna ordinaria plectenda sunt,
nisi ex reliquis circumstantiis ejusdem fiat dispensatio & mutatio.
Menoch. lib. 2. cas. 360. Ad hanc circumstantiam non immeritò re-
ferri potest conatus.

11. Quæritur igitur quomodo ille puniendus sit qui cona-
tur

tur delictum? *Joan Georg. Godelmannus lib. 3. de Magis & Maleficiis cap. 11. n. 34. & seqq.* duas facit formas cogitationis. Prima est nuda, simplex & latens in animo quæ ut ignorata, ita non punienda. Cogitationis enim pœnam nemo patitur. *l. 18. ff. de pœn.* Nec enim Legislatoris potestas ad ea quæ mente solum concepta, in actum verò externum non proruperunt, sese extendit. Inde vero nolim concludas, leges tantum externam obedientiam à cive exigere, siquidem mens humana justum legale observans, ex primis & ab illis ortis principiis practicis rectè judicat, quid sequendum quid fugiendum; ac Legislator, dum locomotivam exigit, ejus hæc prima videtur esse intentio, in cæteris enim præsupponit civem ex animi proposito leges observaturum esse. Secunda, quando aliquis non tantum cogitat, sed & agit, qui actus Quibusdam dicitur exterior & imperatus: distinguo verò aut agens delictum in actum diduxit, ex parte tamen agentis quid intervenit, ob quod instar conatus se habeat; aut agens non diduxit in actum. Priori casu aut patiens seriò voluit, ut delictum fiat; delictum non est, nec pœnæ civili est locus. *§. 8. Inst. de obl. quæ ex delict. nasc.* quia deficit formale delicti, ut invito fiat; aut non aliter fieri permittit quàm ut delinquentem deprehendat, tunc ordinaria pœna habet locum *d. §. 8. & l. 20. C. de furt.* In posteriori casu respiciendum est, an ex interno principio delictum non perpetretur, ut dum quis pœnitentia ducitur, ibi aut nulla *l. 19. ff. ad L. Cornel. de falsis,* aut levi afficiendus est pœna *l. 21. §. 7. ff. de furt.* An verò externo præpeditur principio, quò minus delinquat: ubi tantum extraordinariæ pœnæ locum relinquerem, ita tamen ut eadem pœna variari debeat, prout delinquendi actus vel proximior vel remotior fuerit, hinc mihi apud *Dn. Carpzov. Pr. crim. part. 1. quest. 17. n. 13.* arripit regula hæc: In Omnibus & quibusvis delictis siue sint atrocissima siue non, conatus quantumvis ad actum proximum fuerit deventum, ordinariâ cujusvis delicti pœnâ non debet puniri.

quam in sequentibus probat. Excipio tamen Jure Romano crimina quibus enormissimè publica violatur pax & tranquillitas uti est crimen læsæ majestatis, assassinium & alia. *vid. l. 5. C. ad Leg. Jul. Majest. cap. 1. de homicid. in sexto. l. 1. ff. ad L. Pompej. de Parricid. ut*

¶ Clar. § lœsa Majestatis vers. scias autem 15. & quest. dist. 92. Gail. lib. 1. de pace publ. cap. 14. n. 7. Vigel. cap. 2. quest. 1. Hinc regula notanda venit quod in atrocioribus criminibus quæ & naturali jure & civili damnantur, conatus & voluntas pro delicto puniatur, licet delictum non sit ad exitum vel effectum perductum, prout notat glos. communiter approbata in l. 1. §. hæc autem verba ff. quod quisq. jur.

12. His cognitis & perspectis: materiale pœnæ considero. Et materia in qua pœnæ exercentur sunt ipsi homines noxii, qui delinquant vel deliquerunt l. 15. ff. h. t. Wesenbec. ad tit. de pœn. n. 6. Nam ii, qui non deliquerunt ut liberi & hæredes noxiorum non sunt puniendi l. si pœna 20. l. crimen. 26. ff. eod. l. sancimus. C. eod. l. 33. §. 1. C. de inoff. testam. Unusquisque enim ex suo admisso sorti subjicitur nec alieni criminis successor constituitur ut ait Callistratus d. l. crimen ff. h. t. & pœna suos tenet autores l. 22. C. h. t. nec pœna alii quàm ipsi fonti infligi debet, Farin. qu. cr. 23. n. 1. juxta vulgaram juris Regulam, quod noxa caput sequatur. h. e. pœna, personæ ejus, qui noxiam commisit, inhæret per text. l. 1. in fin. ff. de privat. delict. d. l. quod dicitur 18. ff. de furt. l. sed si unius §. si jussu ff. de injur. Id quod non solum in veris delictis l. sicum §. 2. vers. idem dicendum ff. si quis causa; Sed etiam in quasi delictis verum est, per text. in l. Julianus 16. ff. de judic. d. l. 1. §. hæc in factum actio ibi culpa penes eum est. ff. de his qui de jec. vel effud. Verum pœna etiam transit ad hæredes & tenentur ii ex delicto defuncti, quod fit. 1. Si delinquens mortuus est post sententiam latam, quæ vires rei judicatæ consecuta est. l. 3. §. ii. ff. de pecul. l. 2. de prætor. stipul. Farin. q. cr. 10. n. 45. & 46. 2. hæres ex delicto defuncti tenetur, si lis ante mortem fuerit contestata l. penalia 164. de R. J. l. nemo enim persequendo 67. de R. J. & l. injuriarum 13. pr. ff. de Injur. 3. Si quid ipse hæres dolo malo fecerit l. prætor ait §. planè ff. novi operis nunciat. aut si aliquid ex dolo defuncti ad eum pervenerit l. sicuti pœna ff. de R. J. l. 15. §. 3. ff. §. 1. quid vi aut clam. Deniq; si pœna sit imponenda ex delicto atrociori ut lœsæ Majestatis & c. d. l. 5. C. ad L. Jul. Majest. vide Farinac. qu. cr. 10. n. 37. & seqq.

13. Gravissima est controversia non tantum agitata inter Jctos ipsos sed & hos atque Philosophos, num in pœnis irrogandis

dis respectus personarum sit habendus seu proportio Geometrica sit observanda? Ego cum *Vvesenbecio* *π. de J. & J. n. II.* pœnas ad Justitiam distributivam & proportionem geometricam refero: ubi hæc concepta verba sunt: Nec usquam certius conspici Justitiæ distributivæ actio potest, quàm in pœnarum distributione; Cujus verba id probantia, iterum adscribo: Justitia hæc, Legis executrix seu Magistratus instrumentum Justitiæ, cum legem exequitur & in concreto de pœnâ personæ applicanda disputat, rem ad proportionem Geometricam reducit: nec tantum quid facto debeat, sed quid congruat personæ tam ejus qui deliquit, quàm illius in quem commissum est, expendit & examinat. Quotiescunq̃ nimirum de aliquo jure publico personis attribuendo agitur, toties ad hanc analogiam Geometricam recurratur in administranda justitia necesse est: propterea quod personarum ingenia voluntates, dignitates, status, consilia, dicta atque facta inæqualia sint, ut iis æqualia tribui non possint: ubi nisi fallor, quinque argumentis hanc sententiam statuminat & textibus juris, cui privatus, citra crimen falsitatis §. 19. *Constitut. de confirmat. ff. ad senat. & omnes populos*: refragari nequit, stabilis. Sed Jure divino personarum respectum atque dignitatem in judicio planè rejectum legimus *Deut. 1. vers. 16. 17.* verba ita sonant: Non agnoscetis faciem in ipso judicio, sicut parvum sic & magnum audietis. Non timebitis à facie cujusquam quia Dei judicium est. Et *Deut. 16. vers. 19.* Non inclinabis judicium, non accipies personam nec munera quia munera excecant oculos sapientum &c. *Prov. 2. v. 23.* Agnoscere faciem in judicio non est bonum. Id quod Ethnicus Philosophus *5. Ethic. c. 4.* haud inficiatur, nihil refert, iniquus, probus ne vir malum, an malus probum suo privarit, neque probus an improbus adulterium commiserit, perindeque personis utitur ac si æquales sint, si ille injuriâ afficiat hic afficiatur, hic lædat ille lædatur. Nostris etiam tam Juris Canonici quàm civilis legibus præceptum & sancitum est, in judiciis non esse habendum respectum personarum: *c. in judic. de R. 7. in sexto* ac pœnas imponi debere sine delectu personarum *arg. c. ea que §. 1. de stat. Monach. l. 1. C. ubi senat & clariss. l. 1. §. 7. ad L. Corn. de sicariis. l. presbyteri C. de Episc. & cler. quia lex sine *ωροσποληψια* pœnam constituit. Re-*

spon-

spondeo distinguendo inter *περσωποληΐαν* extrinsecam & intrinsecam : Illa est, quæ facti naturam prorsus non attingit, sed est personæ acceptatio in iudicio, dum æqualibus in causâ litis à iudice tribuuntur inæqualia, vel contrâ, hoc est, ex paribus reis alter damnatur, alter absolvitur, quia potens, quia dives, quia affinis, quia consanguineus, quia amicus est. Hæc vero est, quæ factum vel aggravat vel elevat; & est acceptio personæ in iudicio, quâ personis æqualibus propter certas quasdam circumstantias tribuuntur inæqualia & vicè versa, ut miles extremè indigus, si furetur, magis veniâ dignus est, quàm qui latrocinio assuetus est. Deinde ad textus, qui videntur aliud statuere, responderi potest, quod ibi tractetur à regula exceptio, si dignitas augeat delictum id est, dum quis in his peccat, quæ ejus dignitatem aut administrationem spectant l. 5. C. ad L. Jul. Majest. & terriò distinguendum est inter pœnas à jure determinatas & non determinatas. Vid. Dn. Carpzov. Pr. crim. p. 1. quest. 2. num. 12. & p. 2. quest. 62. num. 13. & p. 3. qu. 148. n. 41. Dn. Doct. Thabor. in analytica expositione art. 158. Constit. Carol. V. th. XI. p. 461. Fiebig. ad Dn. Frantz. Disput. 2. ad Inst. quest. 5. ubi inter alia ex Hornejo l. 3. Philosoph. Moral. c. ult. probat, quod æqualitas pœnarum ex dignitate personarum æstimetur, & tantùm mediante istius respectu ad justitiam deveniatur, & Nobilissimus atque Excellentiss. Dn. Præses in Praelectionibus privatis ad Wesenbecii π. d. l.

14. Dixi, pœnam noxios homines tantùm persequi, quid ergò sentiendum de brutis? Ex perientia enim docet ea, cum quibus crimen sodomiticum est commissum, cremari, quæ tamen omni deliberatione & proæresi delinquendi vel non delinquendi destituta sunt, sine quâ crimen commissum non est. juxta gl. in l. ii. §. 3. ff. h. t. hinc in antecessum moneo, in discursum illum D. Seldeni, & Mastertii (Vid. hunc in tract. de justitia LL. Roman. l. 7. dubit. 7. p. 28.) an bruta animantia obligentur ac proinde delinquant? (quod utrumque statuit Mastert. d. l. citans t. t. 7. si quadrupes pauperium l. 1. pr. ff. ead.) me nolle me intromittere; proinde respondeo; bruta quantumvis rationis expertia puniri, non propter conscientiam peccati, sed quia refricant indignam memo-

memo-

memoriam facti, & ut alii exemplo deterreantur, illisque horror incutiatur, ne quis tale, propter quod etiam brutum punitur, perpetret delictum & imprimis ut memoria criminis deleatur. *v. c. firmissime 3. §. ex eo a. c. mulier 4 caus. 15. q. 1.* quos textus commendat *Tiraquel. de pœnis temp. caus. 49. n. 39.* Hinc ob sodomiam contra naturam generis cum bruto commissam, hominem unâ cum bruto comburendum esse, in Scabinatu quotidie pronunciatum meminit *Beatus in Miscellan. crim. q. v. est. 3. tit. 2. cap. 12.* Id quod etiam sancitum est *Const. crim. art. 116. verb.* So ein Mensch mit einem Vieh/ Mann mit Mann/Weib mit Weib Unkeuschheit treiben/ die haben auch das Leben verwirret/ und man soll sie nach der gemeinen Gewonheit nach mit dem Feuer vom Leben zum Tode richten. & vide *ibi Stephan.* quam plurimas leges hanc sententiam affirmantes allegantem. *vid. Magnif. D. Thomæ Tr. de nœxia Animalium c. 26. a. n. 40. fol. 190.* ubi lectu jucundissima sunt & quidem primum quæstio est, an locustæ propter damna agris, pratis & vineis illata vel inferenda excōmunicari possint? 2. libellus illarū supplex. 3. an personaliter an verbaliter citari debeant? 4. an comparere possint per Procuratores? 5. disquiritur de iudice competente, Laicus ille sit an Ecclesiasticus? quam quæstionem *Chassaneus* serio & graviter tutetur *Consil. 1. ob rationes à D. Thomæ d. l. citatas sed & a. n. 53. refutatas.*

15. Pari modo non incognitum est, animadverti item in res inanimatas veluti statuas, domus: sic quorundam locorum consuetudine in Saxonis etiam provinciis lapides, fustes, gladii suspenduntur in Foro, Curia vel alio publico loco. *D. Thomæ d. l. n. 23. p. 190.* non autem eo fine, ut illæ quæ planè omni sensu deficiunt puniri existimentur, sed potius ut constet posteritati quam abominabile atque horrendum fuerit illud scelus, propter quod tota domus everfa est, ut & omnibus terror relinquatur ut caveant & fugiant ejusmodi flagitia. Hinc Romanis in more fuit, ad planè delendam sceleris memoriam, delinquentium domos in totum demoliri & evertere, *teste Scipi. Gentil. 3. de juris d. & Clarissimus Jctus Theodorici in Colleg. Crim. disp. 10.* Vivum exemplum quod anno hujus seculi sexto die 20. Aprilis in pago *Eliasbrunn* Baronatus Ruthenici accidit, commemorat. Et sanè hanc pœnam in atrocissim-

ciffimis delictis nimirum læsæ Majestatis, Sodomix, Assassinii, Seditionis &c. locum habere à *Dd.* communiter receptum est.

MEMBRUM IV. DE FORMALI ET FINE.

DE formali non est ut multa dicam, ex suprâ enim recitatis membro 2. luculentè apparet, qualis forma in imponendis pœnis observari debeat. Etenim pro varietate delicti varia etiam datur pœna *l. 9. §. 10. ff. de pœn. ubi Godofr. not.*

2. Hic tamen observandum quod nemo delinquentium ad fustigationem & flagellationem damnatus sic plectendus sit ut verberibus & virgis necetur *l. 8. §. 3.* nec quæstioni (quam legitimum veritatis eruendæ remedium esse statuo cum *Brand Myllero manuduct. ad Jus Civile & canonicum verb. Quæstio sive Tortura p. 353.*) subjiciendus, tormentis occidatur *l. pen. de quæst.* Nec maleficus veneno extingatur *l. 8. §. 1. h. t.* Nec ut de Saxo præcipitur *l. 25. h. t.* neque in facie scribatur *l. 17. C. de pœn. Myns. obs. 66. cent. 2. Clar. in prax. crim. §. fin. quæst. 70.* quod tamen olim in calumniatores *d. l. 17. C. d. t.* & hodiè variè Saxonibus usu receptum esse testatur. *Nobiliss. VVesenbec. in π. ad h. t.* neque ad perpetuum carcerem damnetur reus *l. 35. ff. h. t.* quia ut servitus homini libero non debet imponi *l. Titio centum §. 2. ff. de condit. & demonstr. l. 2. ff. de liber. hom. exhib.* nisi lex vel statutum ob crimina jure divino capitali pœna non determinata aliud sanxerit *Vid. Dn. Carpxov. Pr. Crim. p. 3. q. III. a. n. 56. fol. 101. Menoch. A. I. Q. 90. 88. & seqq. lib. 1. qui cit. hb. 62. 87. & 94.* addit, quod electio pœnæ, quam ipsa lex non dat, reo non concedenda sit, cui adstipulatur *Clar. in pr. crim. quæst. 85. Et Quintilian. in declamat. ante fin.* hoc tantum ab affectibus vestris omnium mortalium nomine, peto, inquit, ne cui nocenti pœnæ præstetur arbitrium? In finitam, Judices, sceleribus aperietis audaciam, si pœnam liceat eligere condemnato, nec jam ullam mortalium innocentiam trepidatione contineas, si patitur deprehensus, quippe quod maluit. Nec duplici quis pœnâ debeat affici, sed judex pro qualitate personæ, proque rei conditione & temporis & ætatis & sexus vel severius vel clementius statuatur & sententiam ferat. *l. 6. ff. ad A. Jul. pecular.*

3. Post

3. post formam sequitur finis, *Wesenbec. ff. h. t. n. 9.* ibique *Magnif. Dn. Hahn P. 2. p. m. 1096.* duplicem pœnarum statuit finem Primus est Emendatio ipsius delinquentis. *l. 20 ff. h. t.* 2. Emendatio aliorum, ut scilicet conspectu damnati & exemplo deterreantur ab ejusmodi flagitiis *l. 38. §. famosos. ff. eod.* Peccare enim oderint saltem formidine pœnæ, si non virtutis amore, *l. 27. §. 6. ff. de pact. l. 6. §. pen. l. 20. ff. h. t.* & unius supplicium sit metus & salus multorum. Indeq; inseri solet sententiis illa clausula: *Thme zu wohlverdienter Straffe und andern zum Abscheu und abscheulichem Exempel.* quibus duobus & alios *Wesenbec. d. l.* addit, possunt enim unius rei plures esse fines; *d. l. 6. §. penult. ff. h. t. l. 28. famosos. h. t. l. 1. C. de emend. propinq. l. si operis. 14. C. de pœn.* & ut sublatis malis coeteri vivant securiores, *l. congruit 13. de offic. presid. l. licitatio. 9. §. 5. de publican. & vectig. Nov. 30. cap. ult.* Hinc alius est, ut solatio sit læsis, cognatis & affinibus, pœna interemptorum, *d. l. 27. §. 15. ff. h. t.* Et ut supplicio adversarii contenti quiescant, nec vindictæ privatæ causa quid moliantur, quod Reip. nocivum foret, *l. 28. §. 15. ff. h. t.* Hinc famosi, latrones in loco, ubi grassati fuere, plecti debent: Majus enim exinde solatium percipiunt cognati, si in eorum conspectu & in loco delicti perpetrati, quàm alibi vindicta sive pœna de delinquentibus sumatur. *d. l. 28. ff. h. t.* Ex quo sine effici posse videbatur, cadavera punitorum Medicis ad Anatomem non esse concedenda, vix enim, verba sunt *Dn. Hahnii ad Wesenbec. de cadaveribus punitor.* fieri queat, ut anatomia non contendat in contumeliam propinquorum, & ut suo, quem ex aspectu, e. gr. in rota relictæ homicidæ, habere debent, priventur solatio. Sed bene & Imperator & Status Imperii disseccanda corpora Medicis permittunt, publici boni intuitu, & ut exinde perfectior Medicinæ cognitio comparari & ad alios curandos peritiores evadere, & circumspetiores accedere possint. Nec tanta esse potest consanguineorum contumelia, ut publicæ utilitati ponat obicem *l. quod Reipl. ff. de injur.* cum quod in commune prodest, privatorum utilitati præferri debeat, *l. un. §. fin. C. de caduc. tollend.* Sic Universitas Salmaticensis Carolo V. Imperat. id licere facere, anno 1550. respondit. *v. Wesenb. π. de cadav. punit. Clar. lib. 5. §. fin. quest. 100. n. 2.* Circumstantiæ verò familiæ, conditionis & dignitatis puniti probè sunt observandæ.

D

4. Ef

4. Effectus autem pœnarum est, quod pœna omnem reatum tollat. Lex enim cum obliget aut ad obedientiam aut ad pœnam, eò fit, ut qui persolvit pœnam pro absoluto debeat haberi. *l.2. ibiq; Bald. de Jure patron.* Nec unum delictum pluribus coërceri pœnis debeat. *l.22. ibi nec alterius. C.h.t. l.28. §.3. & 10. ff. eod. Carpz p.4. const. 42. def. 16. n.23. Vid. Wesemb. ad h.t. n.9. & Colleg. Argentorat. ad eund.*

MEMBRUM V. & ULTIMUM.

I.

Cum igitur nunc de aliquot, pro ratione instituti & ingenio-
li tenuitate mei, pœnarum generibus, divisionibus, causâ
efficiente, materiâ & formâ, & tandem de fine & effectu, ut
opinor, satis dictum fuerit, restat, ut pauca de causis, propter quas
pœna aut mitiganda aut differenda aut remittenda sit, subjiciam.

2. Hic verò in frontispicio statim non ineptè quæri potest.
Utrum Judex pœnas mitigare possit nec ne? *Scipio Gentil. lib.3. de
jurisd. c.5. p.358.* simpliciter negat, ut & *JCrus in l.1. §.4. ad SC. Tur-
pil.* generaliter pœnæ impositionem in arbitrio judicis esse negat.
Farinacius verò distinguit inter judices majores & minores, quasi
illi pœnas pro lubitu moderari, hi autem non possint. *qu. crim. 17.
n.66.* At affirmativam sententiam *Tiraquel. in tract. de pœn. temp.
præf. & Myns. 2. observ. 30. & alii* tuentur, quæ mihi quoq; verissi-
ma videtur. Certum enim est ex *l.13. ff. de pœn. ubi gl. & Dd. & Fari-
nac. d.9. n.11.* Judicem pœnam augere & minuere posse, quod etiam
procedit, si pœna à statuto fuerit imposita. *Jul. Clar. §. si. qu. 85. Si-
chard. ad l.3. & 4. C. ex quib. caus. infam. irrog. Myns. centur. 2. ob-
serv. 54.* Itemq; si jurasset judex, se velle statuta observare. *Farinac.
d.9. n.12. & 15. & seqq.* attamen id ex justa & certâ tantum causâ, &
propter necessitatem & multorum salutem facere potest. *l.3. C. de
de his, qui not. l.13. §.7. ff. eod. l.10. ff. de offic. procons. l.3. C. de serv. fug.
ubi Godofr. in not.* Et tali modo judex non videtur alterare pœnam,
sed lex ipsa, ac ita hæc adversariorum objectio, quod judex statu-
tam à lege pœnam tollere nequeat, in fumû abijt; Siquidem non ju-
dex sed factum ipsum, quod in pœnam incidit, ita concludit atq;
definit, ut nec eâ lege maleficus puniendus censeatur. *v. Nicol.
Reusner. l.2. decis. 16. n.8. Petr. Gregor. 4. Partition. Juris Canonici
§.13. c.3. lit. f.*

3. Cau-

3. Causæ verò propter quas pœna potest alterari, recensentur à Felino. v. Richt. decis. 1. n. 4. VVesembec. in π. ad h. t. n. 10. Tiraquel. in tr. de pœn. & Prosp. Farin. in tot. tract. de pœn. de aliquibus & ego videbo, aut potius ex Membro Tertio quædam repetam, addamq; eidem.

4. Prima occurrit circa personas, quæ ratione ætatis, dignitatis & sexus considerata est. l. 16. ff. h. t. & per l. 108. ff. de R. J. ubi dicitur:

Ferè in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati & imprudentiæ succurritur. Ubi ante omnia inquirendum est, quæ ætas hîc intelligi debeat? Non certè infantilis, hæc enim doli non est capax. l. infans. ff. ad L. Corn. de scar. sed ætas impuberum doli capacium. l. III. ff. de R. J. l. impunitas C. de pœn. Ordin. Carol. V. art. 164. & Andr. l. 2. art. 65. Ex quibus locis patet, quod hujuscemodi ætati pœna sit mitiganda, licet enim impuberum dolosum possit esse judicium, minor tamen eorum est perversitas. De ætate minorenni non levis disceptatio est; sunt qui ab ordinariâ pœnâ minores eximunt per text. in d. l. 16. §. 3. in fin. ff. h. t. adeò ut necessitatem imponant judici, ut minoribus delinquentibus pœnam temperare debeat: Sed huic sententiæ non subscribo, sed Dni. Carpozovii. Pr. Crim. p. 3. qu. 143. n. 69. sequor regulam hanc: *Minores mitius puniri non debent: per capitalem text. in l. 37. §. in delictis ff. de minor. & quod in publicis judiciis ætatis suffragio minores non juvantur. l. 1. C. advers. delict. l. 9. §. nunc videndum ff. de minor.* Illa vero d. l. 37. judici facultatem facit, ut ex probabili causâ quandoque pœnam lenire possit. Itemque ignoscitur his, qui ætate defecti sunt. l. si quis in gravi valetudine. 3. §. ignoscitur. 7. ff. ad SC. Syllan. Et puto d. l. 108. ff. de R. J. de senili quoque ætate capiendam esse, tum quod in genere loquatur, tum quod cum adolescentibus in pari gradu habeantur senes, ut qui partem bonam consilii mentis amiserunt. Dn. Carpz. Pr. Cr. part. 3. qu. 144. n. 2 non ergò sequendus est Jacob. Godofr. ad l. 108. scribens: *Senili ætati in pœnalibus judiciis seu causis non succurritur, non parcitur. i. e. pœna non remittitur, nisi quod senior in recisus tempus relegatur, juvenior in longius l. 2. ff. de term. mot.* Cui responderi potest, quod egregiè ipse Godofredus senibus succurrat, dum ipsis ordinariam remittit pœnam Vid. Richt. decis. 1. n. 68. & 69.

5. Ratione Sexus regulariter mulieres mitius puniri quam viros constat *ex l. 6. pr. ff. ad L. Jul. pecul.* quia eas pro infirmitate sexus mitius aufuras esse putatur. *Richter. decis. 1. n. 25.* Id quod liquet in constituta poena adulterii *Nov. enim 134. c. 10.* Justinianus Imperator gladio adulteros puniri jubet: Adulteram vero conjugem competentibus vulneribus subactam, in monasterium mitti, & si infra biennium eam maritus inde non eduxerit, vel mortuus fuerit, tonderi, monachicoque accepto habitu, in omni vitae propriae tempore in illo habitare. *Constit. Crim. art. 120.* hanc poenam indicit, quod solutus cum conjugata adulterium committens gladio puniatur, soluta cum uxorato virgis tantum caedatur *l. si adulterium §. stuprum. §. fratres §. & incessum ff. ad L. Corn. de adulter. l. 5. §. ad filias. C. ad L. Jul. Majest.* Poena vero haec, ut intra claustra monasterii foemina adulterans maneat, capiatur necesse est, ubi cum soluto coit non vero ubi cum uxorato, neque enim fragilitas sexus muliebris foeminas tunc excusare potest, hinc, praesertim *Jure Saxon.* aequae capitali supplicio foemina, uti maritus subjugatur. *Dn. Carpz. Pr. Crim. p. 2. quest. 54. n. 20.*

6. Ratione dignitatis poena mitiganda. *l. auxilium. §. 1. ff. de minor. l. fin. in fin. ff. rer. mot. l. aut facta. §. persona ff. h. t.* Id vero in iis casibus obtinet, qui ad nobilitatem & dignitatem ejusque contumeliam non spectant & extrinsecus communi consuetudine contingunt *l. 42. in fin. ff. de incend. ruin. l. 6. in fin. ff. ad L. Jul. pecul.* licet enim & tunc ejusmodi personae minorem in corpore sentiant dolorem, majorem tamen famae jacluram patiuntur: ac porro id procedit in genere mortis; siquidem ignobilis uti suspenditur, nobilis & vir alicujus dignitatis capite plectitur *v. l. 9. §. 11. ff. h. t. Theodor. in colleg. crim. disp. 10. de poen. tb. 4. lit. d.*

7. Non tantum ratione aetatis, sexus & dignitatis, verum, etiam ratione defectus animi & intellectus tollenda est poena, Vtuti fit in furioso *Tiraq. de poen. caus. 1. n. 7.* Sicut enim consilii innocentia tuetur infantem, ita facti infelicitas furiosum excusat *l. 12. ff. ad L. Corn. de sicar.* qui enim in furore delinquit, excusatur a poena scilicet delicti in furore commissi. *d. l. 12. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 3. §. 1. ff. de injur. l. fin. in fin. ff. de adm. tut. l. 40. ff. de R. J.* Furiosus enim habetur pro absente, *l. 17. §. 11. ff. de injur. l. 2. §. 3. ff. de jure codicil. l. 2. §. 1. ff. de procur. l. fin. in fin. de V. S. l. 124.*

l. 124. §. 1. de R. J. Et mortuo æquiparatur l. 14. ff. locat. Sicut igitur absens & mortuus corporaliter aut capitaliter pupari nequit, ita nec furiosus. *Farin. q. 94. n. 16.* Et porro quia furiosus caret intellectu & Judicio, sine quo, dolo obnoxius esse nequit *Gomez. 3. var. Ref. n. 70. Tiraq. caus. 2. n. 8. & seqq. Gail. 2. observ. 10. n. 20. Clar. §. fin. q. 69. n. 7. Farinc. d. quest. 94. n. 1. Riche. decis. 1. n. 144.*

8. Hinc est quæstio, quâ non difficilior altera, an furiosus de delicto ante furorem commisso puniri debeat? quam nego, ob jam citata loca Juris & rationes. Huic sententiæ opponit se *Bronchorst. in Miscel. controvers. centur. 2. assert. 69. tum per l. 14. ff. de offic. presid. ibi, si verò ut adsolet, intervallis quibusdam sensu sanior est, & fortè eò momento Scelus admiserit, morbo ejus non est danda venia, tum quod omnis excusationis ratio cesset, & demum, quod in pœnis delictorum ad conditionem rei respiciatur, quæ fuit tempore admissi criminis. l. 1. ff. de pœn. l. 21. de injur.* Cui responde-rem & quidem ad verba *d. l. 14.* quod, qui intervallis furoris deliquit, quod sanæ mentis manserit ipso etiam punitionis tempore, aut intelligi verba dicta possunt, si furor nec dum probatus sit. 2. Satis excusatus est, quia furore percitus est. (3. *in d. l. 1.* conditio delinquentis fuit conditio servitutis, quæ attenditur tempore ferendæ sententiæ, ut ut manumissus sit. In hac re verò tutissimum judi- canti erit consilium in *d. l. 14. ff. de offic. presid.* ut casum ad Prin- cipem referat. *v. Nicol. Reusner. lib. 1. decis. 17. & Dn. Carpzov. Prax. Crim. p. 3. q. 145. n. 24. Gail. l. 2. observ. 110. n. 22.*

Huic æquiparatur iracundus, qui ex inconsulto calore i. e. iræ impotentia delinquit; hinc ei parcendum *l. 48. de R. J. l. 5. C. de Injur. l. 19. C. de inoff. testam. Tiraq. caus. 1. n. 12. seq.* Irati enim toto animo conturbantur, rationis usu carent, loqui nesciunt, sen- sibus uti non possunt, adeoq; insaniunt, & proinde præsumitur in iis abesse dolus & voluntas nocendi propter iracundiam nimiam. Inconsultus enim calor vitio caret *l. 1. §. 5. ff. ad SC. Turpill.* addo- que si ad iram ex justa causa & dolore concitatus fuerit; extra igitur casum magnæ iræ ubi quis à mente totus abalienatus est, iratum non excuso. *v. Dn. Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 147. à. n. 56.* Ad quam classem etiam referri potest qui immodicè est ebrius *l. omne delictum §. per vinum ff. de re militari. d. c. sanè 15. quest. 1. c. in ebria-*

verunt. 15. quest. 1. talis enim ebrius mentis alienationem patitur. c. qui concupiscentia 15. d. quest. 1. quia verò culpā non caret, ex arbitrio iudicis jam fustigari potest, jam simpliciter relegandus est aut alio puniendus modo. Dn. Carpz. p. 3. quest. 146. n. 34.

10. Sic & pœna mitigatur illi, qui ex ignorantia iusta, probabili non affectata, crassa, supina & improbata delinquit. l. fin. C. de jur. & fact. ignor. Tiraquell. caus. 14. n. 22. & seqq. l. 38. §. 3. ad L. Jul. de adult. Idem obtinet in illo, qui casu delinquit, veluti si quis aliquem præter scopum & consilium in negotio & actu licito, v. g. in exercitio lusorio occidat, ratione culpæ occisor extra ordinem puniendus est. Const. crim. art. 146. Clar. in §. homicid. n. 1. l. 1. §. cum qui C. de Sicar. l. 11. §. delinquunt. ff. de pœn. Tiraquell. caus. 13. iudices enim in tali casu plus misericordiæ debent, quàm severitatis adhibere Wesenbec. ad L. Corn. de Sicar. n. 23.

11. Similiter videndum, an id quod commissum dicitur, dolo factum sit, iustamque excusandi causam habeat nec ne, quandoquidem ob carentiam doli, omninò pœna mitiganda est. quod sæpè dictum est. Tiraquell. caus. 14. n. 1. Farin. quest. cr. 87. per tot. Ex voluntate & dolo enim delinquentium maleficiâ distingvuntur & pœna imponenda exinde mitigatur vel aggravatur. arg. l. qui injur. 33. in pr. ff. de furt. §. placuit. 8. Institut. de obl. quæ ex delict. nasc. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de sicar. l. foedissimam 20. C. ad L. Jul. d. adult.

12. Ignoscendum etiam iis, qui amoris æstro perciti delinqvunt, quia amor & libido furori æqui paratur, c. cum in juventute X. de presumptionib. Hoc verò de eo juvene dictum vult Dn. Carpzov. Pr. crim. p. 2. quest. 61. numer. 61. qui blanditiis foeminæ alicujus captus & libidine incitatus, adulterium committit ex subito & improvise libidinis impetu, cui ex parte indulgendum, perinde atque ei qui subitâ irâ vel dolore commotus aliquod delictum perpetrat: Secus verò sese res habet, quando quis impetu & furore cessante ex causa amoris præmeditatum committit adulterium. V. Clar. q. 60. in fin. Tiraq. caus. 4. n. 3. Farinac. conf. Criminal. 33. & latè Vid. Richt. decis. 1. n. 77. & aliquot. seqq.

Ut

13. Ut & ei, qui ex rusticitate & simplicitate quæ à dolo excu-
sare videtur, delinquit. l. 7. §. 4. de Jurisd. l. 2. §. fin. si quis in jus voc.
non ierit. teste Menoch. lib. 2. casu 193. seqq. Interdum etiam ob in-
signe aliquod artificium poena minuitur, Tiraq. caus. 50. Sic
Dynus refert, se ex hoc mortis veniam impetrasse cuidam
fabro ob artis suæ peritiam, cui alioquin manus ex statuto erant
amputandæ. vid. Clar. 5. sent. §. ult. q. 60. & quidem per famosum, &
excellentiſſimum textum in l. 31. D. h. t. dico famosum, verba sunt
Fiebigii in disp. 1. ad Franzk. Exercit. Semidec. quest. 1. n. 7. ob fatum
illud insperatum & sanguineum, quod fons ille legum & lucerna
Juris Azò occasione ejusdem legis experiri coactus fuit: Is enim
uti etiam num Bononiæ durat fama, cum in disputatione ab An-
tisophista quodam suo provocatus cultro eum petiisset, tractus ad
carcerem & ad bestias damnatus, exclamasse dicitur: ad bestias!
ad bestias! ratus commonefactos iudices hujus legis, ob artis &
Jurisperitiam incomparabilem, poenam relaxaturos & delicto
gratiam facturos esse, sed malè cecidit! bestias enim se infimulari
credentes, iudices acrius irritati non destiterunt, donec summo i-
psium supplicio afficerent, doctumque ipsius sanguinem funderent.
Lansius in Consult. de principat. Europæ. orat. pro Italiâ p. 850. Hac
Fiebig.

14. Sic & anteaetæ vitæ integritas mitigationem poenæ
meretur Tiraq. caus. 51. iisque parcendum qui benè meriti fuerint
de Repl. Alian. 5. c. 19. Tiraq. cit. loc. similiter ii qui delinquent ex
affectione vicinitatis. Tiraq. caus. 24. aut ducti misericordia & pie-
tate Tiraq. caus. cit. mitius puniendi sunt.

15. Sic etiam diurnitas temporis præteriti à die delicti cõmissi
poenâ mitigat. l. 25. si quis diutin. ff. de poen. Farin. q. cr. n. 84. l. sicut. & l.
querela C. ad L. Corn. de falsis, quia hac emendatione declarare quis
se videtur, se non ex proposito deliquisse & ob vitæ emendationem
ipsam: Sed hoc in casu diurnitas temporis locū habet & veniam
meretur quando sc. delinquens intra octo vel 10. annos non fuerit
accusatus de delicto. Far. q. cr. 93. n. 85. Tiraq. triennium quidem suffi-
cere existimat caus. 19. & 42. n. 14. 15. Clar. 60. §. final. sed vix hoc ad-
mittendum. Huc æquè referri potest longa & diutina rei in car-
cere detentio, argt. l. 23. omnes C. de poen. sc. si reus non ex sui culpâ,
sed

Sed ex morâ Judicis in carcere justo diutius detentus fuerit: Nam si ipsemet perseverando in delicti negatione moram nectat, obstinatio hæc nihil eum juvabit *Dn. Carpz. Pr. Cr. q. 149. p. 3. n. 48.* Porro inter causas mitigandi & minuendi pœnam adhuc plures recensent *Dd.* veluti est, Revelatio proditiōis contra Principem, *Carer. pr. cr. p. 484. n. 12.* Sociorum criminis manifestatio. *Heig. p. 2. q. 32. n. 34. seqq.* Spontanea confessio & oblatio rei *Bertazzol. conf. crim. 357. n. 4. conf. 505. n. 25. Tiraq. caus. 30. Farin. q. 81. c. 5. per tot.* Modo fiat priusquam reus ad judicem venerit aut probationes recipiantur. *Tiraq. d. l. n. 10. per text. in l. 5. §. fin. C. ad L. Jul. Majest.*

16. Sed & tunc locus erit pœnæ remissionis, si quis ad fisci vel accusatoris instantiam examinatus delictum fateatur. *Dn. Carpz. Pr. Cr. p. 3. q. 149. n. 29.*

Item huc spectat Intercessio conjugis in casu adulterii per *Nov. 134. c. 4. Auth. sed hodie C. ad L. Jul. de adulter. & Constit. Elect. 19. p. 4. ibi Dn. Carpz. defn. 10.* quæ in locum ultimi supplicii perpetuam relegationem substituit, ut tamen relegatum conjux innocens sequatur, tum ad evitandum scandalum tum ne dissolvendum foret matrimonium si innocens pars remanere posset. *Theod. in Colleg. crim. disp. 10. th. 3. lit. L. & th. 4. l. N. cir. fin.*

17. Hinc non minus elegans quàm ardua quæstio moveri potest: an reus condemnatus ad mortem ob intercessionem puellæ ad matrimonium à pœna sit absolvendus ordinariâ? Negativam uti tutiorem sequentibus fundamentis probo. 1. quia judex pœnam dictatam suâ sententia regulariter revocare non potest *l. 15. C. de pœn. l. 27. ff. h. t. l. 8. §. ult. C. ad L. Jul. de vi publ. 2.* quia executio in reo condemnato non est differenda, sed illa in continenti fiat necesse est *l. qui cum reis C. de pœn.* etiamsi condemnatus polliceatur se aliquid ad salutem Principis pertinens revelaturum esse *l. 6. in pr. de pœn.* uti hoc de consuetudine observatum meminit & refert *Clarus §. fin. q. 96. n. 1. 2. 3.* Tertia & potissima quidem ratio est, quod Reipl. interfit, ne delicta mancant impunita *l. ita vulneratus §. 1. §. 2. vers. quod si quis ff. ad L. Aquil. l. 14. C. de pœn.* Quarta, si hoc admitteretur, certè delictorum aperirentur fenestræ, & non foret dubium, quin multi nimis securè profilirent ad flagitia, iis opinionum illecebris seducti, fore quasdam fœmellas, quæ ipsos precariâ voce asser-

asserturæ in libertatem & à pœna liberaturæ sint. De quâ quæstio-
ne vid. prolixius differentem *Tiraq. de pœn. caus. 55. & seqq. & caus.*
ult. Dn. Theodor. in Colleg. crim. disput. 10. in fin. Equidem scio, quod
pro adversanti opinione allegetur textus *in cap. 20. x. de Sponsal. ubi*
dicitur:

Inter opera charitatis non minimum est, errantem ab erroris sui
femitâ revocare. Statuimus, ut omnibus, qui publicas mulie-
res de lupanari extraxerint & duxerint in uxores, quod agunt,
in remissionem proficiat peccatorum.

Sed respondeo, contra Theologiam orthodoxam esse, opera bona
ad remittenda peccata prodesse. *2. d. c. 20.* non tractat de debito
hujus controversiæ subjecto. De hoc verò themate ut melius in-
formeris, remitto te *ad Dn. Carp. pr. cr. quest. 149. n. 53.* ubi hæc ver-
ba: *Quin. & aliæ circumstantiæ concurrere possunt, quæ hoc casu ju-
dicem ad sententiam benigniorem commovere debeant, ut personæ
qualitas, quæ proaresin & propositum delinquendi non habuit;*
quæstioni n. 51. de pœna mortis institutæ non respondent, nemo n.
dignus erit morte, si non dolo deliquit.

18. In numerum causarum quæ minuunt pœnam non imme-
ritò etiam pœnitentia refertur. *Tiraq. caus. 28.* Si nempe delictum
nondum consummatum fuerit. *v. Dn. Carp. Pr. Crim. p. 1. Qu. 139. n.*
3. Denique etiam ob populi tumultum, quem probabiliter metui-
mus, iudex pœnam reo mitigare potest *arg. l. 16. ad L. Corn. de Sicari-*
is. Bellovisanus. 2. pract. 11. n. 19. Siquidem aura popularis, quam
condemnatus ad mortem captavit, seditiones facilè excitat. Et si
quis jussu Domini vel Superioris deliquerit, illi etiam ignoscen-
dum, *l. servos ubi Bald. C. ad L. Jul. de vi publ. l. 2. de sepulc. vi-*
ol. l. unic. C. si rector provinc. Tiraq. caus. 34. & 35. Sunt & aliæ causæ
quæ mitigant delinquentium pœnas, quas enumerare & hic appo-
nere prolixum foret.

19. Nunc instituto deserviens progredior ad causas propter
quas pœna damnatorum quandoque differenda est. Fit verò va-
riis ex causis 1. Si à reo petatur rationum redditio *l. 1. C. de bonis da-*
mnat. 2. Si de crimine graviore accusetur *l. 1. in fin. ff. nihil innovari.*
3. ob furorem damnati supervenientem. *4.* ob dignitatem Princi-
palium in civitatibus ut Princeps consuli possit *l. 27. §. fin. ff. de pœn.*

E

5. ob

§. ob confessionem delictorum Sacerdoti faciendam sacramque
σύναξιν. *Clar. q. cr. 87. n. 4. q. 98. n. 3. & q. 99. n. 3.*

20. An & ob appellationem? quæstio hæc momenti ali-
cujus est: Distinguo inter processum criminalem ordinarium &
inquisitorium; & has regulas pono: In processu ordinario tum
de jure communi, tum morum appellare licet. Jure Romano tex-
tus prostant. *in l. 2. §. 8. l. 3. §. 8. C. de V. l. E. l. 1. l. 14. l. 18. l. 29. C. de appel-
lat. l. 1. pr. l. 3. §. 3. ff. quando appell.* Objicitur verò *l. 244. ff. de V. S.*
quod de pœna provocatio non sit: Responsio est in textu sc. quæ-
ritur an à sententia capitali appellare liceat, quod verum est, non
verò an à pœna; cum hæc ipso jure damnationem sequatur. Quod
novius jus Germaniæ attinet cum *Dn. Carpz. Pr. Cr. Part. 3. q. 139. n. 31.*
Observantiam laudo, nec obstant textus in *Recessu de Anno 1530.*
§. item als jetzt etliche Zeit her. & Ordin. Cam. lib. 2. tit. 28. §.
Item nach dem auch / ubi de aliis Imperii judiciis præter Dica-
sterium Camerale nihil traditur, ac ita textus ad ea extendi
non possunt. Adde *Ordinat. Appellat. Elector. Saxon. D. Christiani II.*
Anno 1605. Tit. Wer vor unser Appellation gerichte Vid. Dn. Carpzov.
d. l. & Oldenkopf. observat. criminal. tit. 5. observat. 1. à. n. 6. pag. 350.
Secunda esto regula: In processu inquisitorio appellare non licet,
tum ob observantiam Germaniæ, tum quod judex in delicto mani-
festo ad puniendum proclivis esse debet. *Dn. Carpz. d. l. à. n. 15.*

21. Porro & prægnanti meritò differenda est pœna donec
pariat *l. 3. ff. b. r. l. 18. ff. de statu hominum.* quia partus non pœnæ sed
Reipl. nascitur. *l. 2. §. si ea ff. de vent. in poss. mitt. l. vetar. ff. de mort.*
inferendo. Et calamitas matris non ei nocet, qui in ventre est. *Inst.*
de ingenu. Jure Saxonico mulier post editum partum indistinctè
sive ad mortem sive ad aliam corporalem pœnam fuerit damna-
ta, non nisi exactis sex septimanis ad supplicia trahitur. *Dn. Carpz.*
Pr. crim. p. 3. q. 137. n. 220

22. 7. Ob metum tumultus populi. *l. pen. ff. de L. Corn. de Sic. de*
quo paulo ante, & denique 8. ob Rei absentiam. Etenim
juxta *l. 5. ff. de pœn.* absens in criminibus (ubi scilicet pœna
capitalis vel corporis afflictiva imponenda est, aliàs absen-
ti pœna relegationis vel multa dicitur. *Dn. Carpzov.*
Praxi Criminal. par. 3. quest. 140. num. 3.) damnari non debet
l. 2.

debet l. 2. C. de requir. reis. Nemo enim inauditâ causâ damnandus
l. 1. ff. de requir. reis & absolvere nocentem satius est quàm innocen-
tem damnare. l. 5. ff. de pœn. l. 10. l. 13. de publ. jud. l. 6. C. de accusat. l. 15.
C. de adulter. vid. Jul. Clar. lib. 5. & ult. qu. 48. quomodo hodie pro-
cedendum sit adversus reum absentem, tum ut contra citatum ad
adnotationem & confiscationem bonorum perveniatur l. 1. ff. de re-
quir. reis l. 1. & 2. C. eod: tum ut potissimè Jure Saxon. in bannum de-
claretur reus vid. Dn. Carpzov. Prax. Criminal. p. 3. qu. 140. n. 5, 6, 7.
& ejusdem Epitomatorum Dn. D. Svecum beatæ memoriæ p. 69.

23. Dumhuc usque, ex quibus causis pœnæ maleficiorum mi-
nui atque differri possint, tractavi, nunc & quidem paucissimis in
aliquas causas, ex quibus pœna remitti queat, debeatque, me in-
tromittam. Quarum 1. est, Mors delinquentis, l. 6. ff. de publ. ju-
dic. l. 10. ad Sc. Turpil. l. fin. C. si accus. vel reus mor. hæc enim non so-
lum justam causam, quâ quis accusari possit, impedit; verum eti-
am ipsum crimen intentatum extinguit & per consequens ipsam
pœnam. Caball. resol. cri. cas. 189. n. 2. Verùm hic notandum, quod
in atrocissimis delictis hæc remissio locum ferè non habeat, puta
in læsæ Majestatis crimine. vid. Dauth. de testam. n. 207. p. 170. 171. ho-
rum enim reorum memoria etiam post mortem damnatur §. 5.
Inst. de heredit. quæ ab intest. defer. & bona fisco applicantur. l. 15. §.
3. ad Sc. Turpil.

24. 2. Causa est Principis abolitio, quæ nihil aliud est quàm
accusationis seu criminis oblitteratio Pet. Gregor. 32. Syntag. 13. n. 2.
per quam quippe accusatus è numero reorum eximitur Duaren. ad
tit. Sc. Turpil. c. 3. Cujus causæ variæ esse possunt, ut puta natalis dies
Filii Principis, Festivitas diei festi Paschatis; Adventus Principis
felicissimus, victoria contra hostes, successus in rebus gerendis pro-
sperrimus, possessio Regni acquisita & similes: de quibus vide Perr.
Gregor. lib. 36. Syntag. cap. 21. n. 8. 9. 10. & seqq. l. 8. ad Sc. Turpil. l. 3. C. de
Episcop. & Cl. Sed objicit Clapm. lib. 4. de Arcan. Rerumpl.
hoc modo delicta impunita abeunt. Mihi (responder
Clapmar. iterum) verò Thraseæ illud semper probabitur: Non
quicquid nocens reus pati meretur, id egregio sub Principe statu-
endum est: & apud Senecam AMP. Tacita sic abeant mala, HER. ut
inultus ego sim? Am. sæpè vindicta obfuit.

25. 3. Est Restitutio ubi is qui sententiam metalli, deportatio-

nis & annotationis passus est, redintegrationem prioris status adipiscitur. *l. 4. ff. b. & l. 14. C. eod. §. 1. Inst. quib. mod. patr. potest. solv.* Ea autem fit vel à lege vel à Principe *l. un. §. 2 ff. ad l. Jul. ambit.* seu alia fit ex justitiâ, alia ex gratiâ; legalem dispesco in generalem & specialem *l. antep. et fin. C. b. t. & d. §. 1. Inst. quib. mod. pat. pot. solv.* Illa justitiæ restitutio (ubi sc. innocentia condemnati ostenditur,) complectitur omnia alienata & jura alteri quæsitâ, quia causa distractionis ab initio vires non habuit. *Dn. Hahn. ad Wefenb. π. de sent. pass. & restitut. n. 3. Zoef. ad eund. tit. n. final.* De eâ verò quæ ex gratiâ Principis fit, unum atque alterum disquirendum est: 1. est, num à Principe restitutus bona etiam recuperet? quod nego *per. l. 2. l. 3. l. 4. l. 5. l. fin. §. ult. C. de sent. pass.* ut verò dubiis responderi queat, distinguo inter restitutionem generalem & specialem, hancque plenam & minus plenam. *v. Wiefenbec. π. de sent. passis. th. 29. fol. 1084. 2.* an fructus medio tempore percepti sint restituendi? & hoc nego *arg. l. 22. C. de Rei vindicat.* quia quis non ex ordinaria juris sui perfectione sed gratiosè restituitur, ubi sibi gratulari debet, quod pœna liberetur; facit quod hæc restitutio non nisi à die interpositæ gratiæ operatur. *v. Trentler. vol. 2. disp. 31. th. 2. lit. c. ibiq. Bachov. 3.* an bona à fisco alienata recuperet damnatus? nego, quia beneficio Principis jus tertii non tollitur. *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loco publ. l. pen. C. de precib. Imperat. offer.* etiam si ea bona sub hasta vendita fuerint *v. Wiefenbach. d. l. illa igitur restitutio gratiæ dependet à jure, quod vocant aggratiandi: hinc dubitatio est, an Princeps sine causa possit pœnam mortis remittere? sunt qui asserunt, tum quod hæc indulgentia à sola gratia nomen sit indepta, tum propter Principis absolutam potestatem. Ego ità sentirem: Oportere Principem in impertiendâ delicti gratiâ ad causam respicere, e. grat. ad preces supplicantis, intercessionem aliorum: siquidem illa gratia præsupponit principium, unde proveniat. v. Glasen. de Jure aggratiandi c. 15.* Notes verò quod pœnas à Jure & lege divinâ dictatas, ut & illorum criminum quibus Majestas divina læditur, veluti Blasphemix, execrationum in Deum, sortilegii, vel aliorum quæ Reipl. tranquillitatem dissolvunt & turbant, ut sunt Latrocinia, raptus, incendia & similia. *Dam hand. p. 2. c. 147. n. 6.* bonus Princeps salvâ & illæsâ conscientiâ tam propter Deum quàm Reipl. salutem remitte-

mittere non possit. *vide Deut. 13. v. 8, 9. & c. 22. v. 21, 24. c. 24. v. 7. 1. Samuel. 15. v. 22.* ubi divina Majestas Magistratibus hujus seculi gravissimè injunxit, ne scelerosis parcant: Quæ divinæ leges, cum à Majestate humanâ latæ non sint, nec ab ejusdem arbitrio tum in promulgando tum in ratificando dependeant, dispensationi ejusdem non subjacent. Sunt tamen qui Principis œconomix & dispensationi etiam hîc locum relinquunt, *Si CAUSA subfuerit urgentissima.* hæc verò non speciem rationis habeat sed vim veræ & moraliter justificantis causæ *vid. Dn. Carpz. pr. crim. p. 3. qv. 150. 29. ibi quia horum criminum reos jus divinum morte punire jubet, ne quidem summus Princeps aut Magistratus quisquis superior hoc casu mortis supplicium absq; causa sufficiente remittere potest. Limneus de Jur. publ. lib. 4. c. 8. n. 282. ibi, inde ergò vix est, ut pœnæ remissioni locus sit. & Glasen. de jure aggratiandi cap. 16. p. 170. de quâ quidem disputatione ego judicare nequeo: sed hoc addo: Videat Princeps contra jus divinum dispensando ne iratum Deum habeat.*

26. Denique & ultimum locum occupet Præscriptio: Sicuti enim actionibus civilibus certa præfinita sunt tempora, intra quæ possunt institui, *tot. tit. Inst. de temp. & perp. act.* Ita etiam in causis criminalibus certum est constitutum tempus, quo elapso delictum extinguitur & pœna cessat; quod tempus regulariter est annorum viginti, de quo ita scribunt *Imper. Dioclet. & Maxim. in l. 12. querela C. ad L. Corn. de falsis.* quod querela falsi temporalibus præscriptionibus non excludatur nisi viginti annorum præscriptione sicuti cœtera quoq; fere crimina. Limitatio tamen est, quædam enim delicta quinquennio præscribuntur, ut accusatio simplicis adulterii, tam jure Civili *l. 29. §. 5. & seqq. ff. ad L. Jul. de adulter.* quàm Saxonico *in Nov. Elect. Constit. 19. §. ult. part. 4. Carp. in pr. crim. p. 3. quest. 141. n. 40. & seqq. & alia v. l. 5. & l. 28. C. de inoff. testam. Carp. d. l. n. 46. & seqq. Tirag. de pœn. caus. 29.* Sic etiam accusationi & inquisitioni regulariter præscribitur 20. annis de Jure Saxon. *Beust. de Jure jur. ad l. admonendi n. 870.* Et meminit *Clarissimus Jctus Dn. Richt. in decis. 21 n. 41.* in Scabinatu Jenensi hoc modo pronunciatum. *Daß N. den N. wegen des beschuldigten Todtschlages weiln der selbe vor 22. Jahren geschehen seyn soll / anzuklagen nicht befugt.* Limitatur 1. tamen hæc assertio in actione civiliter

liter ad damnum restituendum intentata *vid. Dn. Theod. crim. colleg. disp. 10. th. 7. lit. D.* Et 2. in criminibus atrocissimis non locum habet, v. g. assassinii, & abortus. *Dn. Theod. d. l. ubi plures refert limitationes. Clar. sent. lib. 5. §. fin. q. 51. n. 13.* Ratio verò hujus in delictis inductæ præscriptionis est, quia ipso jure tollit obligationem, ita ut licet reus confessus fuerit delictum, tamen si ex actis appareat, punitionem esse præscriptam, ista confessio non noceat confitenti; deinde quod satisfactio criminis & præscriptio pari passu ambulât, *arg. l. 17. §. 5. de inj. allegatq. Mars. cons. 40. n. 21. & seqq.* Et hæc de materia scitu maximè necessaria & utilissimâ scribere animo constitui meo: Tuum erit benevole lector, ea in meliorem partem interpretari; primū enim est meū periculum Academicum, cui si tuo favore accesseris, tentabo impoſterum alia tradere, si DEUS dederit, Cui

LAUS ET GLORIA.

Ad

Politissimum, Doctissimumque
DN. MICHAELEM FRIDERICI
ZITTA - LUSATUM,
Amicum Singularem,

Cum

Disputationem,

De

POENIS DELICTORUM IN GENERE,
à se elaboratam publicè tueretur.

Ad imitationem Dissertatiunculae JOH: BARCLAI
lib. 1. Argend. ibi, si contineri suâ sponte & c. circa Legum
in Re-Publ. Necessitatem occupata, p. m. 100.

Iustitiæ si parerent mortalia secla,
Injustæ leges, ridiculæque forent;

AN

Ass hęc prosperitas nunquam speranda; reliquit
Dudum Astręa malas intemerata domos.
Hinc Leges, hinc pęna malis, hinc pręmia justis
Lata, Orbis quę sint vincula firma feri,
Id quod persequeris fausto conamine; pręsit
Jova tuis studiis, Pręmia digna feres.

JOACHIMUS Nerger/

D. & Prof. Pandect. Publ.

AUREA prima etas rectumque fidemq; colebat
Sponte suę, properę subit hanc argentea proles
Inter utramque tenens medium; mox ærea; sævis
Ingeniis, rabida arma vocat; quam ferrea quartę
Subsequitur, subitę omne nefas pejoris in orbem
Irrupit vitę: fugere Fidesque Pudorque
Ætas nostra potest merito nunc Quinta vocari
Secula, quippe fluunt cunctis pejora citatis
Temporibus, cujus sceleri nec nomina profunt
indi, nec quoddam posuit Natura Metallum,
Nil igitur mirum vitiis crescentibus ipsas
Augeri pęnas: quas cum moderamine justo
Ditandas doceas. Te digna brabea manebunt.

Ita Per - Eximio ac Pręstantissimo DN.
Respondenti, Consalino suo aman-
tissimo gratulatur

JOHANNES BREWER. Leutsch, Hung.
Med. Licentiatus.

LEx divina pię nobis est regula vitę,
A quę principium Julia sacra capit;
Immo quas leges fundat sacra cer ordo Senatus
Consulti; probat has Arbiter Altitonans.
Sunt etenim leges morum fultura bonorum
Indomitosque jubent plectere supplicii.

Ergõ

Ergò salutamus, qui novit jura, beatum
Justitiamque sibi cum pietate facit
Perpetuam comitem; Te mellitissime Fautor
Prædico felicem, qui proprium arte probas
Ingenii studium, dum docto differis ore,
Quid valeant cultæ pondera Justitiæ.

*Hiscæ, Præ-Eximio atq; Eruditissimo Domino
Disputationis Autori, Fautori atq; Conterra-
neo suo estimatissimo dilectissimoq; gra-
tulabundus adesse debuit voluit.*

M. Henricus Pladecius,
Zittâ Lusatus.

Premia cum Pœnis sunt bina columina, quorum
Auspicio benè Res-Publica quæque viget.
Præmia digna manent solidæ virtutis amantem;
Ast *VITII* socium *POENÆ* verenda manet.
Te, cum virtutis cultor, *THEMIDIS*que satelles
Sternuus existas, præmia digna manent.

*Quod animo calamoque
precatur*

*Per-Eximio, Doctissimoque Dn. AUTORI,
amico atque commensali suo pera-
mando.*

JOACHIMUS ERNESTUS RESIUS
Jesnizio-Anhaltinus. LL. Stud.

Cur pœnas potius, quàm præmia pingis *Amice?*
Anne cupis pœnas? præmia nonne magis?
Scilicet ex pœnis scit fingere præmia virtus,
Quæ Tibi, Patroni pro hocce labore ferent.
Sic solet ex rabido fragrantia mella Leone
Doctè vir sapiens accumulare sibi.

Pauca hæc

*Dn. Respondenti- Autori Fautori & Consalino
suo suavissimo pro familiaritatis
nexu adspersit*

HEINRICUS SIGNITZIUS,
C. A. L. L. Stud.

Wittenberg, Diss., 1664-65


ULB Halle 3
004 716 361




1

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

TIO JURIDICA

422

De
SIS DELI-

IN GENERE,

28

Quam,
e Divino Numine,
Magnifici atq, Amplissimi
rum Ordinis;

1865

8

2

PRÆSIDIO

VIRI

plissimi & Consultissimi

HIMI Wergers!

D. & P. Pand. P. Curia Electoral.

iridica, ut & Judicii Provincia-

feriori Lusatiã, Assessoris

ravisissimi,

is, ac Præceptoris sui omni ho-

tie cultu etatem colendi:


ublicè ventilandam subjicit

AUTOR

L FRIDERICI

avia. Lusatus.

is Pomeridianis, ad diem 29. Aprilis.



ITTEBERGÆ

HÆI HENCKELII,

M. DC. LXV.